WENCESLAI TRNKA
DE KRŽOWITZ
S. R. I. EQVITIS MEDICIN. DOCTOR.
IN REG. UNIVERS. THERESIANA BU-
DENSI PATHOLOGIÆ PRO-
FESSORIS P. O.

HISTORIA
AMAUROSEOS

OMNIS AEVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

PARS II.



VINDOBONAE
Proſtat apud RUD. GRÆFFERUM.

CIƆ DCC LXXXI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



HISTORIAE AMAUROSEOS
PARS II.
DE METHODO MEDENDI AMAUROSI.

PROLEGOMENON.

§. 62.

In limine curationis amauroſeos paucis innuiſſe tironi ſat erit, eadem hic prorſus obtinere, qvæ in *Cophoſeos hiſtoria* (q) nuper

(q) §. 24. p. 102. 103.

a me edita de *indicante*, *indicatione*, *indicatis*qve in medium attuli; modo ad organum viſorium ejusqve morbum præſentem applicentur: ut proinde haud viſum fuerit, eadem huc verba eandemqve rem tranſcribere. Iſthoc præmonito mox ad varia indicata, qvæ varia ætate adverſus amauroſin ſunt reperta, faciemus tranſitum.

SECTIO I.

PHARMACEUTICA REMEDIA INTERNO USUI DICATA.

CAPUT I.

EMETICA.

§ 63.

EMETICA adverſus amauroſin commendare paradoxum forte cuipiam videri poſſet, tum qvod ab iis aſſumptis amauroſin fuiſſe natam (*r*) conſtet, tum qvod artis periti ſerio diſſvadeant illa hic exhiberi, vel certe

(*r*) Vide §. 39. b).

non ſine circumſpectione danda eſſe arbitrentur. M. ETTMÜLLERUS (s) „ vomitoria caute uſurpentur „ ait. Verum ſi emetica, qvia vomitus amauroſin cauſavit, forent rejicienda, eodem ſane jure ac metu & alvi purgatio, & miſſio ſangvinis, & veſicantia, probatiſſima ad curandam amauroſin præſidia, qvæ perinde morbum hunc ſubinde accivere (t), eſſent reprobanda. Et qvoniam amauroſis vomitu cum ſponte oborto (u) tum arte moto ſæpenumero profligata eſt, non eſt, cur ab emeticorum uſu ejus in curatione pauca exempla ſiniſtra abſterreant qvemqvam. S. YVES (x) refert Eccleſiaſticum paucis poſt diebus, qvam amauroſi correptus eſt, ſumpto prima die emetico, altera die tuſa vena jugulari, cum biduo inde poſt alterum uſurpaſſet emeticum, viſum cœpiſſe recuperare, qvem dein vapor e ☿ oculo immiſſus brevi reſtituit. GÜNZII (y) „ feminæ 30 circ. annor... cum ferrea trabs „ in dextram lateralem oſſis frontis partem

(s) Opp. omn. T. 2. P. 1. f. m. 731.
(t) Vide §. 39. a). c). §. 36. a).
(u) Vide §. 60. No 5. d).
(x) l. c. Cap. 27. §. 15.
(y) l. c. §. 8. p. 17. ſq.

„ incidiſſet, in dextro oculo videndi facul-
„ tas ablata eſt. Huic feminæ primum ſan-
„ gvis ex vena brachii detractus eſt, &
„ altero die poſt in mannæ ſolutione ſtibium
„ datum, qvod eam ſæpius vomere coegit.
„ Redeunte protinus aliqvo lucis ſenſu, &
„ dolore capitis imminuto, juſſit Medicus
„ feminam aqvas minerales per octiduum
„ potare, tumqve iterum emeticam medi-
„ cinam dedit, & acie magis acuta reddita
„ rediit femina ad aqvarum uſum, tandem-
„ qve 4 ſeptimanarum ſpatio perfecte ſana-
„ ta eſt. Alterum exemplum pueri eſt, cui
„ acies fuit ob repreſſam tineam erepta: is-
„ qve brevi ad ſanitatem rediit, cum ipſi
„ fere eadem medendi ratio adhiberetur;
„ namqve fuerunt tantum aliqva in victus
„ ratione mutata „. Clarius etiam effica-
ciam emeticorum docent obſervationes ab E. RIBE (z) factæ, nempe ruricola ad 20 annos natus in ſilva ex arbore in terram præceps lapſus, parvo inde incommodo percepto domum ſanus vegetusqve revertit. At poſtero die totum brachium dextrum prorſus paralyticum factum eſt, exiguo ſenſu in eodem ſuperſtite; ſimulqve viſus adeo cœpit obſcurari, ut poſt 24 horas ex toto perierit.

(z) Act. Svec. Vol. 1. Trimeſtr. 1. No 10.

Poſt 8 dies conſultus Medicus exhibuit emeticum; alteroqve die jam æger lucem inter ac tenebras, dum palpebras attolleret & clauderet, diſcrimen ſenſit. Biduo poſt emeticum iteratum diſcrimen lucis ac tenebrarum auxit, nulla interea in paralytico brachio percepta emendatione. Poſt 3. 4ve dies tertium emetico dato æger jam objecta vicina majora (ut menſam, ſedilia, &c.) agnovit, ſimulqve motus aliqvis digitis, manui, ac brachio paralytico rediit. Poſt 4 vel 5 dies qvartum exhibito emetico æger etiam colores diſcrevit, ungves ſuos vidit, & in objecta ſibi propoſita rite collimavit; motus qvoqve paralyticæ partis erat auctior. Inde octiduum interpoſitum, ut ſtomacho parcatur: qvo tempore morbus nihil prorſus mutabatur. Tum vero qvintum emeticum datum brachio priſtinam reſtituit mobilitatem cum tanto etiam robore, ut & prehendere aliqvid poſſet; viſus vero adeo increvit, ut lineas ſat minuti typi, non item literas, dignoſceret. Poſt alios 4. 5. dies ſextum emeticum nil jam emendavit, nec uſus acidularum Wiksbergenſium, nec bis adhuc poſtmodo iteratum emeticum. Hinc omne negotium naturæ relictum eſt. Haud ſecius juveni conſpicuo ad 22 annos nato viſus intra trimeſtre ita ſenſim abiit, ut demum per-

fecta adesset amaurosis: at post septies usurpatum emeticum ita denuo rediit, ut mediocrem characterem æger legere qviverit. Plura similia paulo post. Sed cum tamen aliqvando emeticorum usus noxam adferat; satis liqvet, inconsiderate illa præberi neutiqvam debere: dispiciendum itaqve erit, qveis in casibus vel utilia vel noxia, duce experientia, sint reputanda.

§. 64.

Indicant usum emeticorum præprimis

1. *Infarctus vasorum ophthalmicorum laxiorum*, a vi externa, metastasi, &c. ut paulo ante in casibus GÜNZII ac RIBEI vidimus.

2. *Obstructio viscerum abdominalium* præsertim hepatis a bile prava ac lenta, id qvod ex inferius (*a*) dandis casibus manifestum fiet.

3. *Saburra primarum viarum* ab ingestis, a colluvie pravorum humorum, maxime biliosorum, aut verminosa, &c. Sic A. G. RICHTERUS (*b*) „ Ecclesiasticum novit, „ qvi vehementer iratus subito occœcatus

---

(*a*) Vide §§. sqq.

(*b*) l. c. fasc. 2. Cap. 5. p. 73.

„ eſt adeo, ut ſolem ſplendentem ſine omni „ luminis ſenſu inſpicere poſſet. Sumpto „ altero mane vomitorio, qvod ſigna ſor- „ dium bilioſarum reqvirere videbantur, vi- „ ſum eodem die recuperavit„. Perinde R. WHYTT (*c*) „ novit feminam, cui, qvo- „ tiescunqve ſtomachus acido laborabat, o- „ mnia qvæqve ſpiſſo fumo velata videban- „ tur, & cui proinde emetica, ♁es abſor- „ bentes, atqve amara remedia optima fue- „ runt ophthalmica„.

§. 65.

Selectus autem id genus remedii ex emeticorum claſſe, juſtaqve ejus *doſis*, nec non *forma* idonea, negligi haud debent; qvandoqvidem ea eſt amauroſeos contumacia, ut ad ejus profligationem nullum ſtudium nullaqve circumſpectio nimia eſſe poſſit. Principem autem locum ſibi hic vindicat ☿ emeticus vel ſolus vel efficacibus aliis etiam remediis copulatus. „ Inter inſigniora con- „ tra hunc morbum remedia ☿ emeticum „ eminere mea me, inqvit RICHTERUS (*d*),

(*c*) Beobacht. über die... Nerven-hypochondr. u. hyſter. Zufälle I Cap. No. II. i).

(*d*) l. c. p. 85.

„ aliorumqve, in primis Cel. SCHMUCKERI „ & THEDENII obſervatio docuit. Neqve „ efficaciori doſi, ut vomitum excitet, ex- „ hibere illum debes; convenit ſæpe magis „ refracta illius doſis, aſt ſæpe repetita, ſub „ qva potenter reſolvit, nauſeam movet, & „ non niſi ſubinde vomitum excitat. Con- „ venire autem illum iis in primis in caſibus, „ ubi viſcera abdominalia ſtagnantibus la- „ ceſſentibusqve humoribus liberanda ſunt, „ ego qvidem puto „. J. L. SCHMUC-KER (e) ad tonum retinæ opticoqve nervo reſtituendum optimum remedium eſſe ☿ eme-ticum parvis ac refractis doſibus datum teſta-tur, jubetqve præmiſſo antiphlogiſtico pur-gante, gr. iij in ▽æ ℥vj ſolvi, ac toto an-temeridiano tempore 2da qvaqve hora cochl. j præberi. „Remedium hoc (inqvit) plerum- „ qve nauſeam, interdum vero ipſum qvo- „ qve vomitum vel alvi fluxum, excitat, „ atqve in poſteriore caſu doſis eſt minuen- „ da; ſin vero nullam nauſeam moverit, „ poteſt qvavis hora ad cochl. j. ij. præbe- „ ri. In pilulis qvoqve exhiberi poteſt. „ Mihi, qvæ ſeqvuntur, ſunt uſitatæ:

(e) l. c. p. 16.

„ ℞. Gumm. Sagapen.
——— Galb.
Sap. Venet. aa. ℥j.
Rhei optimi ℥jß.
♀ emetici gr. xvj.
Succ. liqvirit. ℥j. F. l. a. pil. pond.
„ gr. j. S. m. ac v. No xv. per 4 vel 6 he-
„ bdomades. Feliciſſimos inde fere ſemper
„ ſucceſſus obſervavi „.

§. 66.

Cautelæ tamen qvædam practicæ circa emetici uſum haud ſunt negligendæ, nempe:

1. *Sangvinis miſſio*, ubi plenitudo vaſorum vel inſignis humorum ad caput congeſtio, vel rarefactio ſangvinis, præſto eſt, emetici uſui præmittenda, imo etiam ſæpius intercalanda, pro re nata, erit. Sic ſæpe SCHMUCKERUS (*f*) obſervavit milites itinere properato ſub æſtu & onere magno ſubito cœcos factos. Væ Se præmiſſa dabantur ♀ emet. gr. iij. cum ſaccharo. Vomitu vix finito viſus plerumqve rediit. Aliqvot poſt diebus pro re nata catharticum, & fotus e

(*f*) Chirurg. Wahrnehm. 1 Th. 43 Beobacht. p. 410.

Ω Lavend. c. Ω ⊖* in uſum vocabatur. Si Væ So & emeticum haud profuit, ſecta vena jugulari poſtero mane denuo data emetica & veſicantia admota. Hisqve fere ſemper morbus ceſſit.

2. *Solventia* qvoqve interdum, ubi lentor humorum in morbo ſimul adeſt, præprimis ubi bilis ſpiſſa hepar infarcit, utiliter aliqvamdiu præmittuntur, intercalantur, aut ſimul uſurpantur Sic „ juvenis 24 annor. „ narrat RICHTERUS (g), poſt febrem a„ cutam amauroſi ſenſim corripitur perfectiſ„ ſima, adeo ut, cum ad me veniret, ne „ ſplendidiſſimi qvidem ſolis radiorum mini„ mum haberet ſenſum. Morbus annum & „ dimidium duraverat, cum curæ meæ æger „ ſe committeret. Facies illius pallida tu„ mida erat, appetitus abolitus, coctio ci„ borum langvida, omnium functionum vi„ gor imminutus, ſomnus turbulentus, pu„ pilla puriſſima qvidem, adeo vero dilata„ ta, ut iridis vix veſtigium appareret. Pri„ mum illi exhibui ♀ri ♀ſati ʒſs, qvam per „ 3 dies ter qvotidie ſumpſit. Qvarto die „ ad me venit, & de inſigni nauſea & vo„ mituritione, de ructibus nauſeoſis, faſti-

(g) l. c. p. 80. ſqq.

„ dio ciborum ſummo, & inqviete totius
„ corporis, qverulo exhibui gr. ij ♀ eme-
„ tici, qvæ copioſam materiem viridem a-
„ cerrimam dentes corrodentem evacuave-
„ runt. Die 5° dextrum oculum luminis
„ aliqvem ſenſum habere, ſiniſtrum vero fe-
„ neſtram tantillum diſtingvere, lætus mihi
„ narrat æger. Oculos cum inſpicerem, pu-
„ pillam paulo magis contractam reperi; un-
„ de pergendum mihi eſſe via, qvam in-
„ greſſus eram, putans iterum exhibui ℥ß
„ ♀ri ♀ſati ter qvotidie per 3 dies ſumen-
„ dam. Die 8vo ægro vertiginoſo de ſum-
„ mo capitis dolore, ſapore oris maxime
„ nauſeoſo, cibos faſtidienti iterum duo
„ grana ♀ emetici exhibui. Vomuit ille
„ ſepties acrem viridemqve ſaburram. Die
„ 9no ſumma cum voluptate vidi latiorem
„ eſſe iridem, anguſtiorem pupillam; æger
„ vero colores ſe jam diſtincte, majoraqve
„ objecta qvaſi umbras videre narravit. Pal-
„ lor tumorqve faciei imminui, appetitus
„ ciborum, lætior aſpectus, functionumqve
„ omnium vigor redire jam incepit. Solus
„ jam ſubinde obambulavit æger; ego au-
„ tem tartarum tartariſatum ter qvotidie ſu-
„ mendum, & die 12mo vomitorium iterum
„ exhibui. Die 13tio ſolus ad me, duce
„ non amplius egens, venit æger, & qvo-

„ tidie increſcere videndi facultatem nar-
„ rat. Naturalis jam fere erat magnitudinis
„ pupilla, libere, qvamvis paulo ſegnius ad-
„ huc, movebatur iris; majora, imo minora
„ qvoqve, diſtincte ſatis videbat æger, ſo-
„ lus obambulabat, ſimul atqve vero ſolis
„ ſplendor cubiculum impleret, cœcus qva-
„ ſi ſtetit. Ut magis adhuc increſceret ocu-
„ lorum vigor, electricitate uti ſvaſor illi
„ fui. Uſus illa eſt per 14 dies, aſt ſine o-
„ mni emolumento. Inde liqvorem terræ
„ fol. ♀ cum extracto trifolii fibrini per 14
„ dies ſumpſit, cui, cum qvotidie ad-
„ huc augeri oculorum aciem viderem, ad-
„ didi tandem TRæ ♂ cydoniatæ aliqvid;
„ qvorum medicamentorum ope factum eſt,
„ ut qvi ante duos menſes penitus occœca-
„ tus ad me pervenerat æger, ſolus jam ob-
„ ambularet, objecta majora clare videret,
„ libros literis majoribus impreſſos legeret,
„ omniumqve totius corporis functionum vi-
„ gore reſtituto egregia frueretur ſanitate.
„ Simpliciſſima hac methodo in alio qvoqve
„ caſu, non qvidem tam egregio cum ſuc-
„ ceſſu, inſigni tamen cum emolumento,
„ uſus ſum. Juvenis Hildeſienſis 20 & ali-
„ qvot annor. utriusqve oculi perfecta a-
„ mauroſi laborans me adiit, rogans, ut vi-
„ ſum illi reſtituerem: Mobilis erat, ſplen-
„ di-

„ didiſſimiqve nigroris pupilla, æger vero ſa-
„ niſſimo corpore præditus, ut vitium, cui
„ gutta ſerena tribui poſſet, nullo modo
„ detegi poſſet. Cum valde ſe iracundum
„ eſſe confiteretur, variisqve mœroribus,
„ aliisqve animi adfectibus ab aliqvot jam
„ annis ſe perpetuo agitatum eſſe narraret,
„ præcordiis hic in primis proſpiciendum eſ-
„ ſe putavi, & liqvore terræ fol. ♀ ple-
„ num cochleare ter qvotidie ſumi juſſi.
„ Qvarto die plurima in tota corporis ſuper-
„ ficie punctula rubra apparuerunt inſigni
„ cum pruritu, rediitqve tantillus luminis
„ ſenſus. ♀ri ♀ſati ʒß ter qvotidie jam
„ exhibui. Septimo die totum ægri corpus
„ punctulis illis rubris valde prurientibus
„ tectum qvaſi erat, æger vero adeo ver-
„ tiginoſus, ut ſtare vel obambulare vix
„ poſſet: de dolore capitis ſimul inſigni,
„ appetitu proſtrato, ſapore in ore valde
„ ingrato, qverebatur. Sumpſit ille 8° die
„ vomitorium, qvod ingentem fœtidæ acer-
„ rimæqve ſaburræ copiam evacuabat, &
„ egregio qvidem cum levamine; evanuit
„ enim vertigo, dolor capitis, nauſea,
„ rediit appetitus ciborum, oculorumqve vi-
„ gor adeo increvit, ut jam colores majo-
„ raqve objecta æger diſtingveret. Sumpſit
„ ita iterum ♀rum ♀ſatum per 4 dies, qvi-

„ bus elapſis rediit iterum nauſea, vertigo,
„ faſtidium, qvæ qvidem ſymptomata eme-
„ ticum iterum diſſipavit. Saniſſimum jam
„ ſe eſſe, plurima objecta ſatis diſtincte ſe
„ videre, ſolum qvoqve ſe obambulare poſ-
„ ſe æger affirmavit. Speravi inde fore,
„ ut qvæ tantum jam attulerant ſalutis, in-
„ tegrum viſum reſtituerent medicamenta;
„ aſt ſpes me fefellit, morbus enim, qvalis
„ jam erat, manſit, qvamqvam plurima re-
„ media, & inter alia ☿lia & electricita-
„ tem tentarem, unde æger, niſi inſigni,
„ aliqva tamen videndi facultate præditus
„ abiit „. Simile exemplum etiam I. L. SCHMUCKER (*h*) ſuppeditat, nempe puellæ ſeptenni ab retrogreſſis ob frigus admiſſum morbillis perfectam utriusqve oculi amauroſin biennio jam paſſæ primum ter qvotidie ♀ri ♀ſati ℈j dabatur, cum diæta vegetabili, & decocto rad. graminis pro potu, imperatis. Die 10 catharticum ſumpſit, ac poſtea qvater qvotidie xij pil. ſuperius (*i*) memoratæ ſumendæ erant. Primis binis hebdomadis nec nauſea nec alia mutatio inde orta; at 3ª & 4ª hebdomade cum nauſeæ, tum &

(*h*) Vermiſchte chir. Schriften l. c. p. 21. ſqq.
(*i*) Vide §. 65.

vomitus interdum, adfuere. Poſt 6 hebdomades mobilibus aliqvatenus factis pupillis, præſertim dextra, ægra lucis aliqvid vidit, noctemqve a die diſcrevit. Abhinc vero in dies mane millepedes 40 in jure, & bis qvotidie pilulæ, ac ſpiritus roborans (*k*) uſui datus. Lapſis inde 6 hebdomadis jam objecta, dextro in primis oculo, diſtingvebat. Idcirco iisdem in remediis pergebatur, ac præterea pone utramqve aurem veſicans eſt admotum, & 19 dies in fluxu ſervatum. Cumqve interea temporis viſus magis magisqve emendaretur, majoris etiam revulſionis cauſa aliud amplum veſicans nuchæ applicatum 14 dies ulceris in ſtatu ſinebatur. Poſtea excitato in lævo brachio fonticulo, non niſi ante ſomnum xij pilulæ, & ſpiritus roborans, adminiſtrabatur, ſicqve ægra intra 9 menſes prorſus convaluit.

3. *Iteranda* eſſe emetica in pertinaciore malo, qvouſqve proficua eſſe videntur, allata hactenus exempla, ac plura etiam poſtmodo danda, ſatis ſuperqve oſtendunt.

4. *Revulſiones* per alia loca eodem tempore inſtituræ, ut ſangvinis miſſio (*l*), ve-

---

(*k*) Vide §. 103. B. No. 3.
(*l*) Vide §. 91. ſq.

ſicantia (*m*), &c. maximopere energiam emetici adjuvant, curationemqve accelerant.

5. *Paregoricum* interponere interdum oportet, ſi a diuturniori emetici uſu ſtomachus læſus fuerit; qvam in rem facit PÜSCHELII exemplum apud SCHMUCKERUM (*n*): vir e metaſtaſi (ut videbatur) jam ¾ anni cœcus & uſqve adeo ſurdus erat, ut nec ſclopeti cominus exploſi fragorem exaudiret; porus acuſticus prorſus erat ſiccus, oculorumqve bulbi cum immobilibus pupillis verſus canthos internos fuerunt detorti. Cumqve Væ Ses, veſicantia, ac varii generis ſolventia ubertim adhibita nil profeciſſent, qvater qvotidie dabatur ♀ri emet. gr. ß cum Gumm. ammon. gr. x in pilulis, doſisqve ♀ri emet. aliqvot poſt diebus ita aucta erat, ut qvotidie & ano catoqve vacuaret, & ſudores urinamqve ſimul moveret. Toto autem hoc tempore veſicantia in fluxu ſervabantur. Die 12o æger lucis aliqvid ſenſit, & pupilla poſt frictionem parumper contrahi videbatur. Tunc vero doſis tartari ita minuebatur, ut non niſi 3o qvovis aut 4o die vomitum cieret. Sed cum digeſtio inde

(*m*) Vide §. 111.

(*n*) l. c. art. 7. Bemerk. 8. p. 130.

læderetur, die 21° opiatum eſt exhibitum: inde reſumpto per 12 dies remedii uſu viſus ita rediit, ut æger ad 30 paſſus homines rite agnoſceret. Auditus qvoqve multum eſt emendatus; dextri tamen lateris cum viſus tum auditus melior, qvam lævi, fuit: ſed præternaturalis bulborum ſitus manſit. Eadem qvoqve methodo miles qvidam dextri tantum oculi amauroſin paſſus convaluit: omni qvidem menſe abhinc amblyopia dictum oculum repetebat, ſed eccoprotico ſemper iterum cedebat.

§. 67.

Contraindicant vero emeticorum uſum, teſte R. A. VOGELIO (*o*) haud pauca, nempe

1. *Tumores oſſei* encephali, adverſus qvos emeſis, ſi non noxia, inutilis certe eſt.

2. *Cachexia lenta* turgente corpore; emeſi enim facile humores immeabiles ad vaſa encephali pulſi ſtaſes ibi facerent vix emendandas.

3. *Plethora* ex ebrietate, vacuationibus ſangvinis conſvetis non ſuccedentibus, &c.

(*o*) Opuſc. med. ſelect. Vol. 1. Diſſ. 6. §. 17. p. 196.

Hac tamen egregie prius imminuta emetica cum fructu dari poterunt. Deniqve

4. *Inopia humorum* bonorum, nempe „ si lumen ob ſuccorum defectum aliqvis a- „ miſit, velut puerpera in partu, vel alius „ ex venere immoderatius culta, aut ex li- „ beraliori ſangvinis miſſione profuſione- „ ve „ (*p*). Qvam noxia his in caſibus pe- ne omnia ſint vacuantia, vel ſolus BOERNERI (*q*) juvenis documento eſt, & „ per- „ nicioſiſſima hæc, inqvit I. E. GEISLE- „ RUS (*r*), per evacuantia curandi ratio eſt „ tum, ubi tubuli nervorum ob defectum „ ſucci collabuntur. Qva in re falli meden- „ tes ſolent potiſſimum tunc, ubi acies ſen- „ ſim hebeſcit. Cujusmodi nuperum juve- „ nis exemplum novi, qvi cum ſenſim lu- „ men amittens a plerisqve evacuantibus, „ cum ſudoriferis, tum fonticulis & ſeta- „ ceo, vexatus eſſet, tandem ... valentiſſi- „ mi generis emetica medicina, & ... ar- „ gento vivo, ſed ſine ſalivatione, eo cum „ eventu uſus eſt, ut paulo poſt prorſus „ occœcaretur, & poſt mortem invenire-

(*p*) Ibidem.
(*q*) Vide §. 98. No 2.
(*r*) l. c. p. 18.

„ tur omnes cerebri partes ſicciſſimas ha-
„ bere „.

CAPUT II.

CATHARTICA.

§. 68.

CATHARTICA in amauroſi nemo non commendat: qvippe qvorum uſum ſola bonorum humorum inopia contraindicet. Ceteroqvin vero „ ut in omni oculorum valetudine, inqvit F. HOFFMANNUS (s),
„ ita qvoqve ſerena gutta maximopere ju-
„ vat alvum eſſe fuſiorem, qvo ſtagnans
„ in capite humor ad inferiora ducatur.
„ Eo fine adhibenda remedia non decet eſ-
„ ſe draſtica purgantia, ſed blanda laxantia
„ roborantibus nupta; qva laude pollent
„ pilulæ balſamico-cephalicæ, qvarum ca-
„ pite de paralyſi (t) exemplum propoſui-
„ mus. In uſum qvoqve trahi poſſunt pi-
„ lulæ noſtræ balſamicæ cum ☿rio dulci, &

(s) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 4. theſ. therap. §. 4.

(t) Ibid. C. 1. theſ. therap. §. 5.

„ extracto panchymagogo CROLLII com-
„ binatæ „. Interea tamen drastica non prorsus sunt hinc proscribenda; enim vero est, ubi lenioribus tantum catharticis locus datur, estqve etiam, ubi valentiora deside-rantur: certe in illo amauroseos genere, cujus sedes est retina, vel occipiente adhuc morbo H. BOERHAAVE (*u*) commendat primum lotionem fotumqve aqvæ frigidæ ad tonum pristinum vasis retinæ dilatatis resti-tuendum, tum vero ad impetum humorum versus eadem imminuendum „ optima (in-
„ qvit) ... avellentia & resolventia sunt
„ Væ So & purgantia fortiora ☿lia, qvæ
„ copiam minuunt, & simul resolvunt, &
„ licet signa plethoræ non adsint, tamen
„ adhiberi debent. Ergo per aliqvot dies
„ continuos purgationes ☿les propino, ut
„ qvasi salivatio fiat per alvum, ☿us enim
„ dissoluit, purgans autem medicamentum
„ additum vim ejus ad alvum determinat,
„ & nisi hoc fiat, clysma injiciendum est„. Selectum itaqve cathartici causa ipsa, sedes-qve morbi, & ægri conditio docebunt. Ce-terum tanta est catharticorum in amaurosi

(*u*) l. c. Cap. 1. §. 90. Cap. 3. §. 109.

præſtantia, ut vix non omni ſatisfaciant indicationi, qvandoqvidem humores lentos reſolvunt, copioſos minuunt, ſtagnantes vel eſſuſos in remotiora vaſa derivant, ſpaſmos a ſaburra primarum viarum obortos hacce educta ſopiunt, &c. id qvod numeroſa variorum evincunt exempla. Senſerunt ſane catharticorum utilitatem medicus HEERII (*x*), HEISTERI (*y*) adoleſcens, homo HILDANI (*z*), STÖRCKII (*a*) femina, STORCHIIqve cum puer (*b*) tum puella ſexennis (*c*). At non hi ſoli. Apud L. E. HIRSCHEL (*d*) mulier 20 annor. menſes ſemper juſto parciores experta, nunqvam non ante eorum eruptionem aliqvamdiu inter alia hyſterica ſymptomata epilepſiæ etiam inſultus aliqvot patiebatur. Nec interna remedia, nec pediluvia crebra, nec Væ Ses qvovis fere menſe factæ catamenia in ordinem redigere poterant. Singulare autem

(*x*) Vide §. 30. b).
(*y*) Vide §. 41.
(*z*) Vide §. 39. b)
(*a*) Vide §. 112. a).
(*b*) Vide §. 35. d).
(*c*) Vide §. 36. b).
(*d*) Gedank. die Heilungsart der fallenden Sucht betreffend §. 31. p. 49. ſqq.

fuit, qvod ægra periodica etiam aphonia laborarit, qvo tempore ſimul ſpiratio ad ſuffocationem fere prorſus intercipiebatur; qvi paroxyſmus nec odoribus cedebat, nec frictionibus inferiorum partium, ſed cum epilepticis inſultibus ſæpius per diem alternas tenens $\frac{1}{2}$ vel 1 hora durabat, qvoad ſuſpiriis editis finiretur, ſolisqve emollientibus enematis aliqvantum citius terminabatur. Ab his malis viſus, cum alioqvin ſemper deterior efficeretur, interdum prorſus etiam peribat, nihil proficientibus remediis: imo cum ob latentis plicæ Polonicæ ſuſpicionem a domeſticis ad ejus eruptionem promovendam unctuoſa varia capiti adhiberentur, viſus ita inde læſus eſt, nihil ut rite diſcernere ægra poſſet. Donec demum accidit, ut paroxyſmo aphoniæ cum ſpirationis difficultate diutius ſæviente cum tenſione ac rugitu ventris, pulſu admodum pleno, rubenteqve facie inflata mulier lotium reddere neqviret: tum enim vero larga in brachio Væ S° facta poſt conſveta ſuſpiria liberiorem ſpirationem effecit. Interea ingruente circ. poſt $\frac{1}{4}$ horæ inſultu epileptico injectum enema cum ⊖* ℥ß dum intra $\frac{4}{4}$ horæ fœtidam alvum cum numeroſis vermibus elicuiſſet, paroxyſmus inde remittens rarius deinceps rediit. Idcirco dato qvotidie rheo cum ⊖* ad ʒij alvus

copiosa semper cum vermibus prodibat, symptomatis inde manifeste remittentibus, visuqve pedetentim revertente, atqve ab exhibito die 8va Ypecacuanhæ ℈j rejecta copiosa pituita lenta & amara appetentia, prius fere abolita, illico rediit. Eodem vespere menses ubertim profluxere; atqve ab hoc tempore symptomata omnino desierunt, pristino visu reverso. Nihilominus usu ▽æ Sedlicensis, stomachicorumqve, ac sumpta qvovis vespere Nitri ʒß cum aliqvot Castorei granis, periodis inseqventibus ordinatos nacta mulier menses in posterum sana, præter leviora illa hysterica mala, qvæ etiam postmodo sensim desiere, vixit. Porro „ virgo „ ætatis annum agens 18, refert M. A. MORUS (e), post gravia intestinorum tormi„ na alvi fluxionem passa fuit, qvæ clyste„ ribus, longis aqvarum potionibus, & inun„ ctione olei amygd. dulc. curabatur, at sta„ tim dolor redibat: unde post tales mul„ tas vicissitudines tribus diebus a cessatio„ ne fluxus potum propinavi cum unciis dua„ bus & dimidia mannæ confectum. Ab „ hoc medicamento mane sumpto levamen „ sensit, optimas & conferentes evacuatio-

(e) Misc. nat. cur. Cent. I. Obs. 78.

„ nes obtinuit; at poſt prandium vaporem „ qvemdam inſtar flammæ calidiſſimum ex „ ventris imo perſenſit, qvi ad caput dela- „ tus deliqvium intulit, a qvo brevi reſur- „ rexit, ac de totali viſus deperditione con- „ qveſta fuit. Accerſitus ego cerebrum of- „ fenſum judicans ad medicamenta ſpecifica „ cerebrum corroborantia curationem direxi, „ & poſt 4 dies denuo videre cœpit. Sed „ non diu hæc lætitia duravit; nam 14 ho- „ rar. ſpatio elapſo novo, ſed minore, ſur- „ gente vapore iterum derepente cœcitas „ advenit, & per plures dies duravit: unde „ viſionem amplius non redituram credeba- „ tur, licet ego recuperatum iri non deſpe- „ rarem. Ideo ſupra ordinatis medicamen- „ tis etiam purgantia adjunxi, ut minera il- „ la vaporum in inteſtinis latens educere- „ tur: & revera poſt 35 dierum ſpatium va- „ riis adhibitis medicamentis, longo uſu „ ſeri rhabarbarati, &c. viſio rediit„. Per- inde „ civis . . . melancholicus, inqvit D. „ WINCLERUS (*f*), ſubito in epilepſiam „ incidit; ea recedente cœcus remanet per „ dies aliqvot. Ego . . . per clyſteres ma- „ teriam a capite revellere ſtudeo, hu-

(*f*) Ibid. dec. 1. ann. 6. obſ. 50.

„ morem melancholicum expurgo, antiſcor- „ butica exhibeo: poſt aliqvot dies viſum „ integrum cum ſanitate integra recipit pa- „ tiens „. Haud ſecius A. G. RICHTE- RI (g) „ piſtor juvenis plethoricus, dum pon- „ deroſam ſubactæ farinæ maſſam depſerat, vi- „ ſum ſibi imminui ſentit, cumqve eodem die „ ſeqventiqve eodem opere iterum iterumqve „ perfungeretur, 3° die viſum penitus per- „ didit. Vena pedis ſecta, unciisqve xij ſan- „ gvinis emiſſis, rediit aliqvis luminis ſen- „ ſus, fortiqve remedio purgante exhibito. „ integer rediit viſus. Nonne... morbus... „ humoribus ad caput congeſtis debeba- „ tur „? qvos purgans forte aliorſum dedu- xit. Mirum autem eſt, id genus humorum ad caput congeſtionem, eorumqve inde de- rivationem ab uno eodemqve remedio pro- ficiſci! Obſervationem hujusmodi in me- dium adfert G. D. MAYERUS (*h*): „ in Re- „ ligioſo qvodam (ait) ad purgandum cor- „ pus vernali tempore pilularum ☿ lium do- „ ſin convenientem exhibenti mihi hoc e- „ venit inexſpectatum phænomenon, ut „ qvamqvam regiminis legibus bene obtem-

(g) l. c. p. 73.

(*h*) Miſc. nat. cur. Cent. 8. Obſ. 82.

„ peraſſet in omnibus, finita laudabili alias „ operatione cœcus tamen factus fuerit ſubito patiens, & remanſerit ita, donec repetito alio ☿li laxante eundem denuo „ dejectionibus qvibusdam . . . liberaſſem „. Auctor qvidem amauroſin hanc malæ ☿rii dulcis præparationi imputat; at male meo judicio, ſi præſertim ad alibi (*i*) dicta advertas animum: qvandoqvidem & alia cathartica acriora eundem interdum effectum edidere. Ad ejusmodi autem humorum in caput congeſtiones tollendas, præſertim ubi lentore ſimul humores peccant, eximio cum fructu *aqvæ ſoteriæ* catharticæ potantur. Sic I. C. TILLINGII (*k*) vir 62 annor. poſt ☿lem ptyaliſmum ad luem veneream ſanandam toleratum viſu privatus CAROLINARUM thermarum uſu intra 6 hebdomades priſtinum recuperavit viſum. Perinde (*l*) ruſticæ 54 annor. a crebris, e præmaturo menſium defectu pullulantibus, cumqve vehementi cephalalgia ſævientibus ophthalmiis muſcarum idola primum oculis illudere; tum

---

(*i*) Vide §. 39. c).

(*k*) Obſ. med. ſing. 34. p. 63.

(*l*) Wisbadiſcher Krankengeſchichten 30te Geſchichte p. 71.

visus pedetentim deficere cœpit, donec non amplius legere, tandem nulla etiam objecta, imo demum ne consangvineos qvidem rite discernere qviret, aliqva tantum superstite visus lucula: unde nec incedere sine duce, nisi exploratis jam in locis, valebat. Sic afflicta Junio A. 1754 ad fontem Wisbadensem abiit. Oculi inflammatione qvidem caruere; at lens tantisper opaca (ni, qvod credibilius, pallor pupillæ fuerit amauroticæ) visa, & pupilla, oculis qva perfrictis qva luci obversis, immobilis pene mansit. Haustis igitur, præter Schwalbacenses (at non ultra unam alteramve mensuram ob sumptuum inopiam) etiam aqvis Wisbadensibus cum pilulis balsamicis, facta bis scarificatione, adhibitisqve sæpius pediluviis, ægra post 10 dies non modo omnes colores & objecta minuta discernebat, sed etiam typum mediocrem ope perspicillorum prompte, sine hisce autem molestius, legebat.

CAPUT III.

DIAPHORETICA.

§. 69.

DIAPHORETICA qvoqve in amauroſeos curatione præclare ſe ſe interdum gerere ſolent, ac tum vel maxime, dum ægritudo a cutaneis malis intropulſis originem trahit, aut ubi perſpiratio ſuppreſſa vel catarrhalis affectio eidem occaſionem præbuit. Profuit ſane ſola diaphoreſis SEGERI (*m*), ægrotæ, cui in graviditate ex inopinato ſæpius convulſæ, excluſo ſub convulſionibus fœtu, his ceſſantibus coma ſuperfuit, hocqve diſcuſſo amauroſis adeſſe obſervata eſt; qvam diaphoreſis demum abegit. Porro I. F. CONSBRUCH (*n*) medicinam fecit mulieri 59 annor. iracundæ, hyſtericæ, diuturno brachii lævi rheumatiſmo afflictæ, olim vero etiam ophthalmiis, ob qvas fonticulum dextro in pede cum fructu aluit, obnoxiæ. Hæc vice qvadam purpura rubra ita affici cœpit, ut novæ ſemper puſtulæ prioribus non dum

(*m*) Miſc. nat. cur. dec. I. ann. 3. obſ. 161.
(*n*) Nov. act. nat. cur. T. 5 Obſ. 37.

pla-

plane evanidis pullularent; ex qva tandem post 3 hebdomades eluctata, cum humido in horto laboraret, ex 8 diebus visum imminui sensit cum purpuræ reversione, ut brevi amaurotica evaserit. Ubi vero purpura nervinis datis, eruptionemqve pustularum promoventibus confertior apparuit, visus etiam oculo dextro aliqvis rediit, tum lævo qvoqve, donec facta per urinas crisi ad pristinum vigorem fuisset restitutus. Perinde S. YVES (*o*) „ vidit malum hoc hominibus ab „ lichene oculos circumqvaqve ambiente, „ pomatiqve ungventi litu retropulso, acci- „ disse; usu autem jusculorum aperientium „ ac diaphoreticorum visus iterum rediit „. Ita & A. Q. RIVINUS (*p*) „ memini (ait) „ me... vidisse puellam gutta serena per ali- „ qvot septimanas occœcatam penitus, meo „ consilio... unice restitutam fuisse per... „ expellentia, postqvam cognovi malum „ paulo post curatam tineam capitis traxis- „ se ortum „.

(*o*) l. c. Cap. 28. §. 4. p. 326.

(*p*) Diss. de recidiva §. 33.

CAPUT IV.

EMMENAGOGA.

§. 70.

EMMENAGOGA ad expugnandam feminarum amaurofin, qveis menfes vel nunqvam fluxere, vel fubftitere, aut defecere, non utilia modo, fed neceffaria etiam interdum effe, vel inde liqvet, qvod gutta ferena haud raro a catameniis fuppreffis ortum ducat (*q*); qvod item iisdem fponte arteve profluentibus cœcitas aut minuatur, aut plane tollatur (*r*), fi nervi optici non dum omne fuum robur amiferunt (*s*); qvod deniqve fruftra fæpe aliis qvibusvis præfidiis tentatis fola demum catamenia provocata vifum reftituerint. Satis hæc, opinor, exemplis BLOCHII (*t*), HOFFMANNI (*u*), PECHLINI (*x*), RIEDLINIqve (*y*) afferta videri

(*q*) Vide §. 37. e).

(*r*) Vide §. 60. g).

(*s*) Vide §. 59.

(*t*) Vide §. 37. e).

(*u*) Vide §. 38. b)

(*x*) Vide §. 60 No 4. f).

(*y*) Vide §. 90.

possent; sed SCHAARSCHMIDTII (z) qvoqve ac STÖRCKII (a) casus huc facient. Perinde J. F. CARTHEUSERUS (b) „novit „ feminam, qvæ ob diuturnam catamenio- „ rum suppressionem primo visus obscuratio- „ ne, tandemqve leviori gutta serena, cor- „ ripiebatur. Medicus advocatus exhibebat „ usitata cephalica & nervina, ast sine ullo „ effectu. Qvare . . . deinde . . pediluvia, „ insessus uterinos, phlebotomiam in pede, „ & alia appropriata, qvæ negotium men- „ struum in ordinem redigebant, (Auctor) „ commendavit: qvibus ad tempus usurpatis, „ iisdemqve restituto fluxu menstruo rediit „ perfecte visus „. Porro S. ALISCHERI (c) nutrix a 3na regulari, at contumaci, cortice Peruviano sæpe varieqve dato fugata brevi post perfectam in amaurosim incidit. Datis crasin sangvinis corrigentibus incepit lucem a tenebris denuo discernere. Cum vero catamenia simul parum aut nihil flue-

(z) Vide §. 115.

(a) Vide §. 84.

(b) Diss. de necessar. consensus partium attentione practica (4to Francof. 1741. Resp. C. G. LIEBICHIO) §. 9.

(c) Annal. Vratisl. Tent. 22. A. 1722. Decembr. Cl. 4. art. 10. §. 2. p 684.

rent, ,poſt ſectam aliqvoties pedis venam, uſumqve elixirii alcalini lixivioſi, ac bis circa novilunia data reſinæ Jalappæ gr. viii. jx. in 🜄 rectificatiſſ. ʒjß per digeſtionem ſoluta, menſes demum ordinatius uberiusqve erupere: unde viſus etiam pedetentim fiebat melior, præſertim durante fluxu, ut ſpes eſſet, eum ad aciem priſtinam rediturum. Perinde cum feminæ in aqva frigida ſtanti, linumqve lavanti menſes tum fluentes ocyus ſubſtitiſſent, amauroſi lævi oculi continuo ſubſeqvente, 14 poſt diebus conſuluit L. HEISTERUS (*d*) 1°) MRæ ex elix. ppr. ſ. acido ℥j. & ſalis vol. oleoſi ℥ß. ter qvotidie gutt. 50. cum infuſi ex Euphraſ. & Roſmar. aa. M. j. parati ℔. j calide haurienda; 2°) Pilul. BECHERI No 20 qvovis veſpere usqve ad menſium periodum ſumendas, iſta vero adventante per 14 dies ſeponendas; 3tio) 🜄am ophthalmicam ex 🜄æ Valerian. ℥vj. ♌ Roſmar. & Lavend. aa. ℥j. M. pro oculis qvater qvotidie eluendis, proqve oculo lævo noctu eadem ope linteoli fovendo; 4to) Pediluvium ex herbis matricar. artemiſ. roſmar. ſabinæ aa. M. j. in urna 🜄æ decoctis tepide qvovis veſpere per ½ horam

(*d*) Medic. Chir. Wahrnehm. l. c. 1 Band. No. 358.

usurpandum, pedesqve in eo probe perfricandos; 5to) Vesicans ad caput ac nucham; 6to) Væ Sem in pede instante mensium periodo ad ℥x. xij. Intra 3 hebdomades ab his visus aliqvis oculo rediit, non item menses: ea propter remedia sub No 4 & 5 iterata per alias 3 hebdomades, qveis elapsis visus qvidem plus emendatus, menses vero non dum reversi. Idcirco 14 diebus ante consvetam mensium periodum omnium prius dictorum remediorum usus denuo imperatus, octiduo vero ante periodum pediluvium, ut prius, ac postmodo ad utrumqve surarum latus, amboqve femora supra genua, scarificatæ cucurbitæ sunt applicitæ. His factis menses erupere, visusqve lævo oculo pristinus rediit. Similem qvoqve casum refert C. WEBER (c): „ vigimi aliqvot annor. feminæ „ phlegmatici temperamenti, robustæ, men„ strui fluxus tempore nocte qvadam æstiva „ iter per silvam facienti fortuitus animalis „ cujusdam clamor tantum inducit pavorem, „ ut exanimata in terram concidat. Rediens „ ad se se præ lassitudine pedes movere vix „ potest, itinereqve intra 2 horas peracto

(c) Obs. medic. fascic. 2. Obs. 14. §. 15. p. 60. sqq.

„ de anxietate, respiratione suppressa, ca-
„ pitis doloribus, horrore & æstu alternan-
„ te, & siti conqveritur. Menses hinc in-
„ terrupti elici neqveunt, inqvietudo manet
„ toto in die, capitis dolores æstusqve au-
„ gentur, circa vesperam oculi obscuran-
„ tur, nox est inqvietissima, 3tioqve mane
„ doloribus capitis gravissimis ista oculis ca-
„ pta in lecto jacet. Væ So in pede itera-
„ ta, purgantia, vesicatoria, aliaqve reme-
„ dia febrem qvidem, capitis autem dolo-
„ res æqve parum ac cœcitatem, minuunt;
„ priores potius circa seqvens menstruum
„ tempus augentur adeo, ut vix perferri
„ possent... Diu noctuqve summis capitis
„ oculorumqve cruciabatur doloribus, pul-
„ sum habebat compressum & celerem, at-
„ qve de abdominis per intervalla expan-
„ sione dorsiqve dolore tensivo qviritaba-
„ tur; in oculis vero externe ne minimum
„ qvidem vitium conspiciendum erat. Post
„ venæ incisionem in pede, & lactis sac-
„ chari, boracis, nitriqve usum altero ma-
„ ne capitis dolores paullulum remittebant,
„ & pulsu propius naturali accedente ægro-
„ tam neqve nausea, sapor amarus, sitis,
„ neqve abdominis expansio, dorsive do-
„ lor, premebant. Lactis serum ideo tarta-
„ ri cremore paratum, addito oxymelitis

„ ſcillitici pauxillo, ♀rumque vitriolatum „ cum borace præſcripſi, circaqve noctem „ ſemper balneum ex ▽a calida dulci utile „ duxi. Somnus 4to die erat qvietus, capi- „ tis oculorumqve dolores cedebant, ita ut „ iſta 12mo die ſæpius ſcintillas præ oculis „ obſervans his lætaretur qvam maxime. „ Decima tertia veſpera luminis accenſi „ flammam detegens, & 15to die objecta per „ nebulam qvaſi in diſtantia profunda con- „ ſpiciens, 19no omnia perfecte diſtingve- „ bat, preſſionis autem ſenſus in oculis ad- „ huc remanebat: 25to die adductorum re- „ mediorum loco aloes & myrrhæ pilulas, „ infuſumqve cheiri florum 4 dies in uſum „ vocavi, menſesqve inde ex doloribus co- „ licis prægreſſis 36to die largiter prorumpe- „ bant. His tandem finitis ægrota martis „ limatura, electriſationeqve plenarie reſti- „ tuta eſt „. Haud multum abludentem caſum obſervavit C. F. KALTSCHMIED (f) in virgine 21 annor. ſangvineo-cholerica, qvæ fluentibus menſtruis e ſcalis lapſa, dextrumqve capitis latus ad easdem valide alli-

(f) Diſſ. de virgine chloroſi & gutta ſerena laborante 4to Jenæ 1768. (Auct. J. G. NESTLERO).

dens, ſubſiſtentibus illico ob terrorem catameniis, in dextri oculi amauroſim incidit. Abhinc vero ſemeſtres capitis ventrisqve præſertim circa os ſacrum, dolores jam leviores jam vehementiores patiebatur, ſubqve cicutæ uſu invaleſcente ſenſim anorexia chlorotica ſimul evaſit. Ope tandem qvæſita ſangvis primum e pede ad ℥ viij eductus cum ſymptomatum levamine. Cicutæ, qvod ſymptomata exacerbaſſet, in locum ſeqventia menſis ſpatio ſunt exhibita:

℞. Lap. 69 ppt. ʒj.
Sal Centaur. min.
Abſynth.
Tartar. vitriolati aa. ʒ ſs.
Cinnab. nat. ℈ ſs. M. F. ♂. S. ter de die $\frac{1}{6}$ partem; & ante prandium ac cœnam cochl. j. ſeqventis MRæ:

℞. ▽æ Meliſſ.
Menth. aa ℥ij.
Extr. Centaur. min.
Abſinth. aa. ʒj.
Liqv. terræ fol. tartari ʒſs. M.

Potui ordinario ▽a Selterana data. Lapſo menſe per 8 dies imperatæ ante ſomnum pilul. BECHERI No xx; poſtea in priorum tantum uſu per 14 dies relicta eſt: accedente vero novilunio denuo pilulas cum ♂ qvatriduo uſurpavit; a qveis reverſi menſes

ſymptomata mitigarunt. Inde in aliqvot adhuc menſes catameniorum periodo præmittebatur per 3. 4ve dies cum ☿is tum pilularum uſus. Mox vero initio totius hujus curationis ſimul externe applicabantur ſacculi, farti ſpecieb. nervinis, herba majoranæ, roſmarini, ſalviæ, florib. lavendulæ, chamomillæ Romanæ, & rad. iridis Florentinæ, atqve vino coctis; vertici porro guttæ aliqvot balſami vitæ propriæ aliqvoties per diem inſtillatæ, palpebræqve humectatæ crebroqve perfrictæ. Hac methodo virgo 5ta hebdomade radios oculo dextro ſentire cœpit, 6ta vero priſtinum jam recuperavit viſum. Qvantum itaqve legitimus menſium fluxus ad amauroſeos profligationem valeat, vel inde colligere eſt, qvod hic ipſe ut ſangvinis miſſio derivatoria ac depletoria ſit ſpectandus, tum qvod remedia eundem ciere valentia ſint vel vacuantia ano, vel derivantia ad uterum, vel antiparalytica, vel incidentia, &c. qvæ per ſe etiam ad amauroſin tollendam ſunt efficacia.

CAPUT V.

ANTHELMINTICA.

§. 71.

ANTHELMINTICA qvoqve ad amauroſeos curationem interdum maximopere faciunt. Etenim cum certis conſtet obſervatis, amauroſin a vermibus primas vias inſidentibus produci poſſe (*g*), iisdemqve inde eliminatis illam qvoqve ſolutam eſſe (*h*): in aperto eſt, anthelmintica, ut qvæ necandis abigendisqve vermibus apprime inſerviunt, hujusmodi in caſibus eſſe omnibus aliis remediis anteponenda; id qvod ipſa etiam experientia dudum evicit, cum in qvadrimo RICHTERI (*i*) puero, tum ejusdem ætatis puella G. HANNAEI (*k*), qvæ „jam biduum immodico effervefcens calore corpus ſummopere contorſit, imo nec ore ejulatus, nec palpebris lacrymas comprimere valens, faciem & obvia corpuſculi

(*g*) Vide §. 48.
(*h*) Vide §. 60. No 5. f). & §. 68.
(*i*) Vide §. 86.
(*k*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. obſ. 170.

„ ſui membra ungvibus præ dolore graviſ„ ſimo laceravit miſere. Dum his defungi„ tur... variaqve alienatæ mentis ſigna o„ ſtendit, deſtituit miſellam & viſus & ſer„ mo! ... Vermibus ... per anthelmintica „ debite oppugnatis rediit... loqvela circa „ proximi diei veſperam: tertii autem diei „ auroram ſuis lætabunda vidit oculis„ &c. Perinde VANDERMONDII (l) octennis puella, febre continua remittente putrida cum indiciis ſaburræ primis in viis correpta, die 3tio ſubito viſum & loqvelam perdidit; lingvam ſerpentum in modum agiliſſime ex ore vibrabat, donec poſt horam ita exactam lingva exſerta immobilis penderet: in momenta porro aërem valide intra nares attrahebat, velut ſi qvid moleſti ibidem præſto eſſet. Anxietas & inqvies tanta diu noctuqve aderat, ut caput ac facies perpetuo ſudaret. Dato itaqve emetico alvum ſimul probe ciente ægra lumbricum ½ pedem longum evomuit, febre inde miteſcente. Idcirco exhibito cathartico cum anthelminticis poſt horam viſus & loqvela aliqvatenus rediere; ſed nullis porro prodeuntibus vermibus denuo poſt 12 horas interciderunt. Unde va-

(l) Journ. de Medec. &c. T. 10. p. 129.

lentioribus anthelminticis ad emetica & cathartica adjectis, poſtqvam rurſus bini lumbrici ore fuiſſent rejecti, viſus abhinc & loqvela ita pedetentim redibant, ut ægra poſt 7mum diem priſtino gauderet viſu & loqvela. Febris ipſa intra 12 dies etiam expugnata eſt.

CAPUT VI.

SOLVENTIA.

§. 72.

SOLVENTIA perinde haud exiguum ſæpe ad amauroſin curandam adferunt momentum, ac tum vel maxime qvidem, dum illi viſcerum abdominalium, præſertim vero hepatis, infarctus occaſionem præbuit (*m*), aut ubi inſignis humorum lentor adeſt, aut etiam tumores inde enati vaſa ophthalmica, iisve vicina, comprimentes (*n*). Priori vitio tollendo egregie ſatis faciunt

1. *Salia media* blanda, ut terra fol. 🜿ri vel 🜿rus 🜿ſatus, &c. qvæ etiam ſum-

---

(*m*) Vide §. 27. No 6.
(*n*) Vide §. 31.

mo cum fructu aliqvamdiu emeticis, ut superius (*o*) dictum, præmittuntur & interpolantur; imo sola per se interdum omnem absolvunt paginam. Sic „ pictorem qvemdam „ pallidum, debilem, pupilla qvam maxime „ dilatata, summa visus debilitate, verbo „ amaurosi incipiente affectum, usu liberaliori liqvoris terræ fol. 🜿ri & ♂ris cache„ctici QVERCETANI integerrimæ sanitati „ restituit„ A. G. RICHTERUS (*p*). Alterum vero in scopum

2. *Cicuta* se se exhibuit admodum efficacem, ubi nimirum aut diathisis tantum lenta humorum, aut etiam tumores strumosi, mucosi, &c. vasa nervosqve prementes præsto erant. Illustria hanc in rem suppetunt variorum exempla. Ill. L. B. de STÖRCK (*q*) „ virgo 25 annor. (refert) post morbum a„cutum subito privatur visu, & afficitur „ vera amaurosi. Vidi sæpissime ☿ ♎ in „ Ω frum. solutum præter decocta solventia „ simili in casu profuisse. Hunc igitur huic „ ægræ præbui, ejusqve usum satis largum

---

(*o*) Vide §. *66*. No 2.

(*p*) l. c. p. 85.

(*q*) De cicuta Lib. II Cap. 2. casu. 28. p. 155. sqq.

„ per 2 fere menſes continuavi, verum fru-
„ ctum inde nullum adverti. Qvoniam ve-
„ ro obſervavi ſæpius cicutam ibi penetrare,
„ ubi ſublimatus non poteſt, hanc vocavi in
„ uſum. Statim a ſcrupulo ſeu 20 granis
„ per diem incepi. Poſt 3 ſeptimanas fre-
„ qventes vertigines & ſcintillationes ægra
„ conqverebatur, & ſibi videbatur qvando-
„ qve lucem & colores diſtingvere. Verum
„ lucida talia intervalla mox iterum eva-
„ nuerunt, & caput inde factum eſt vertigi-
„ noſum; dedi tunc purgans. Verſus finem
„ ſecundi menſis ægra jam obſcure potuit
„ qvædam videre, neqve a ſcintillatione
„ neqve a vertigine adeo freqventer affi-
„ ciebatur. Sub initium tertii menſis jam
„ 2 drachmas qvotidie de extracto cicutæ
„ abſumpſit, & viſus fiebat multo melior.
„ Hac doſi in 5tum menſem ægra continua-
„ vit, & tunc potuit omnia videre, diſtin-
„ gvere. Qvamvis larga doſi & longo tem-
„ pore ſumpſerit cicutam, nil unqvam inde
„ mali conqveſta eſt; imo augebatur appe-
„ titus, increverunt vires, & omnes actio-
„ nes, alias langvidæ, reſtaurabantur. Men-
„ ſes debito tempore & debita copia ſem-
„ per habuit„. Porro (r) „ homo 32 an-

(r) Lib. qvo cont. experim. &c. Cap. 3. caſ. 9.

„ nor. a pluribus annis ſenſit viſum ſuum „ debilitari, demum nec objecta nec colo- „ res amplius diſtingvere potuit, pupilla u- „ traqve erat multum dilatata; ceteroqvin „ in oculis nullum vitium detegebatur. Re- „ media ſolventia, alvum ducentia, pedi- „ luvia, veſicantia, &c. mali progreſſum „ impedire non potuerunt. Svaſi igitur, „ cicutæ extractum ſumeret. Per 3 ſeptima- „ nas nullum ſenſit effectum; poſtea vero „ lancinantes in oculis dolores percepit, & „ freqventes ſcintillæ verſabantur ante ocu- „ los; dein potuit objecta per vices magis „ dignoſcere: paulo poſt autem viſus erat, „ ut ante, turbatus & debilis valde. In „ 5ta ſeptimana jam omnia erant meliora, „ nec adeo freqventes advertebantur in ocu- „ lis lancinationes, & pupillæ videbantur „ longe mobiliores, & erant magis contra- „ ctæ. Spatio 5 menſium ſolo hujus reme- „ dii uſu continuato viſus integre rediit, & „ pupillæ erant in ſtatu naturali„. Alio- rum qvoqve idem hic Ill. Auctor teſtimonia hanc ipſam in rem paſſim producit. Sic HE- ZELIUS (s) „ homo (inqvit) 25 annor. per „ aliqvot annos caſtra ſeqvebatur, & ſubito

(s) Ibidem Cap. 8. p. 168. ſq.

,, præter cauſam ſibi notam cœpit vera a-
,, mauroſi in oculo dextro laborare. Ad-
,, hibebantur illico efficaciſſima remedia; ve-
,, rum viſus manſit deletus. Poſt aliqvot
,, ſeptimanas pes inflammabatur, & intumu-
,, it, & acceſſit febris vehemens cum magna
,, ſiti. Applicata qvamvis fuiſſent debita
,, remedia, tumor tamen rumpebatur, &
,, abiit in ulcus malignum, trahebatur mor-
,, bus, & ſupervenit cachexia. Æger peſ-
,, ſimo in hoc ſtatu mihi commendabatur.
,, Dedi ſtatim qvotidie gr. xvj extracti ci-
,, cutæ, & vulnus decocto cicutæ & ∇^{a} cal-
,, cis vivæ deligavi. Poſt octiduum dedi gr.
,, xx extracti per diem, & oculo amauroſi
,, laboranti applicui vapores decocti cicutæ.
,, Intra paucas ſeptimanas omnia mutaban-
,, tur in melius, & æger ſenſit fugitivos lu-
,, cis radios, nil tamen adhuc potuit diſtin-
,, gvere. Auxi poſthac doſim extracti ci-
,, cutæ, & dedi gr. 20 mane, & totidem
,, veſperi: reliqvis externis remediis conti-
,, nuatum eſt. Tantum hæc cura habuit
,, ſucceſſum, ut ſpatio binorum menſium
,, non ſolum ulcus peſſimum & fiſtuloſum
,, fuerit integre ſanatum, ſed & rediit viſus
,, ita, ut æger potuerit omnia objecta opti-
,, me diſtingvere & videre. Mirabantur o-
,, mnes tantum remedii effectum, qvi ægrum

in

„ in miserrimo statu antea viderunt „. Perinde narrante C. STRACKIO (*t*) „ juvenis „ 22 annor. sensim videndi facultatem magis atqve magis amisit, sic ut metueret, „ se deniqve omnino cœcum ita futurum „ esse; . . . erant vero oculi sanorum similes, neqve ullum in his vitium deprehendere potui. Qvare juvenem collum „ denudare jussi, visurus, num aliqvod vitium venas jugulares afficeret, inqve his „ sangvinis reditum impediret. Apparuit „ tum lata struma, qvæ aliqvam jugularium venarum portionem amplexa infarctum sangvinis in capite effecit, exqve eo „ cœcitatem. Retulit etiam juvenis, ubi „ montem aut scanderet, aut corpus qvovis „ modo velocius agitaret, difficulter spirare se, atqve angi. At posteaqvam extracti cicutæ drachmam qvotidie in 5tum „ usqve mensem assumpsisset, dissipata struma est, & spiritus liber evenit, & acutus „ visus „. Simili qvoqve cum successu cicutam præbuit F. LEBER (*u*), nempe „ vir „ 40 annor. (inqvit ille) amaurosi post morbum acutum afficiebatur: plurima adhibi-

---

(*t*) Ibidem p. 182. sq.
(*u*) De Cicuta L. 2. Cap. 3. p. 248.

„ ta remedia nihil juverunt. Dedi inde „ cicutæ pilulas, & poſt 3 menſes cœpit lu- „ cem diſtingvere & paulliſper videre: 10mo „ menſe jam iter 3 horar. ſolus ſine duce „ confecit; interim omnia diſtincte videre „ non dum potuit: 16to menſe ex ſolo uſu „ cicutæ integrum viſum habuit „. Deniqve (x) „ Cl. TAUBE Aulæ Britannicæ Me- „ dicus in epiſtola refert: virgini 20 annor. „ per 4 annos perfecta amauroſi affectæ in- „ tegrum viſum ſolo hoc remedio eſſe re- „ ſtitutum „. Sed apage te cum Cicuta, inqviet qvis, qvæ toties impoſuit! Bene habet! Sed & vos hinc faceſſite cum ☿rio, cum Ypecacuanha, cum aere fixo, cum opio, cortice Peruv. ac ſexcentis aliis, ut qvæ perinde haud ſemper ægros medentesqve voti compotes reddant! Non is fuit Ill. STÖRCK, aliiqve, qvi cicutam nunqvam fallere & viderint, & ſcripſerint. Enim vero ipſe Ill. Obſervator (y) binos in medium attulit caſus, ubi hoc remedium necqvidqvam eſt exhibitum. Nempe „ alii ægro „ (ait) eodem prorſus morbo laboranti, cu- „ jus autem oculorum bulbi erant difformes,

(x) Lib. de Colchic. autumn. rad. append. p. 87.
(y) Lib. qvo contin. experim. Cap. 3. caſ. 10. 11.

„ protuberantes, & acuminati, idem cicu-
„ tæ extractum longo tempore fuit exhibi-
„ tum, fed nulla fiebat in melius nec in
„ pejus mutatio. Juvenis 12 annor. in ocu-
„ lo finiftro habebat pupillam admodum di-
„ latatam, intra qvam hærebat corpus ex
„ flavo cœruleum, fubpellucidum, rotun-
„ dum, & vifus eo in oculo erat penitus
„ exftinctus. Tentavi, qvid cicuta hoc in
„ cafu præftaret. Per 3 fere feptimanas nul-
„ la fiebat mutatio: poftea vero æger fenfit
„ ½ hora poft affumptum remedium magnam
„ in oculo pulfationem & vehementem do-
„ lorem; contrahebatur illud corpus hete-
„ rogeneum ita, ut per pupillam protubera-
„ ret. Duravit hoc per plura minuta; dein
„ erant iterum omnia pacata, fed mane-
„ bat malum immutatum. Idem motus in
„ oculo convulfivus rediit qvotidie eodem
„ modo per binos menfes: & cum malum
„ non emendaretur, abftinui ab hoc reme-
„ dio. Juvenis antea cachecticus & maci-
„ lentus fiebat robuftus, & recuperavit opti-
„ mum colorem; ratione vifus autem lu-
„ crabatur nihil „. Atqve hinc fatis confi-
citur, amaurofin haud qvavis de caufa or-
tam cicuta effe medicabilem, fed eam tan-
tummodo, cujus ad caufam tollendam cicu-
ta a Creatore vires eft adepta, qvalis eft

diathisis strumosa, &c. Hinc etiam C. STRACK (z) „ amaurosim ... qvæ orta ex „ alia causa erat, extracto cicutæ per integrum anni spatium frustra curavit „. Recte proinde „ si unus ex centum cœcis, qvi „ ceteroqvin curari non possunt, curetur „ cicuta, inqvit STÖRCK (a), an non hoc „ nobis sit incitamento, ut in omni data occasione prudenti methodo hoc remedium „ adhibeamus „? Atqve hæc de solventium, qvæ solos humores lentore peccantes potenter fundunt, genere attigisse sufficiat. Sed & alterum habetur solventium genus, hic perinde admodum efficax, qvod & humorum lentorem frangit, & langventem vasorum vim contractilem simul excitat, variisqve se se ab experientia commendat remediis; verum de his aptius alio loco (b) erit agendi occasio.

(z) Ibidem Cap. 8. p. 183.
(a) Lib. de Colchic. autumn. l. c. p. 88.
(b) Vide §. 77. sqq.

CAPUT VII.

MERCURIUS.

§. 73.

MERCURIUS vero, tametſi ob virtutem ſuam humores qvam maxime fundentem in ſolventium cenſum referendus fuiſſet; cum tamen ſimul non ſalivam modo, verum menſes qvoqve efficaciter moveat, nec non ad partes ſpaſmis conſtrictas relaxandas magno cum ſucceſſu hodie uſurpetur, ac deniqve & anthelminticus ſit, & præſertim antiſyphiliticus, proindeqve multifariis amauroſeos cauſis tollendis par: ſuo ſeorſim loco proponendus eſt. Qvapropter ſi vim ejus lentos humores liqvantem ac per ſalivales vias (vaſis oculorum admodum vicinas) ubertim evehentem ſpectemus, facile apparebit, cur ☿ rio Cl. qviqve Practici in amauroſeos cura plurimum fere tribuerint, & eum ad ptyaliſmum uſqve præbendum ſvaſerint. Neqve ſperato caruit hoc remedium in contumaciſſimo etiam ac vetuſto malo ſucceſſu II. BOERHAAVE (c) in amauroſi ſedem in reti-

(c) l. c. Cap. I. §. 90.

næ vasis habente, post frustra tentata alia extremo loco salivationem svadet „ qvæ,
„ qvando indicatur, qvantocyus (ait), &
„ ad summum 5to die instituenda est, & ob-
„ servanda diæta in cura morbi Gallici præ-
„ scribi solita. Hoc unicum hic remedium
„ superest, resolvit nimirum integre sangvi-
„ nem, ut in eo paucæ particulæ rubræ su-
„ persint, & totus reddatur tenuis & sero-
„ sus, qvod patet ex halitu fœtido, tumo-
„ re gingivarum, & summa flacciditate. Hac
„ ratione aliqvot ægros curavi. Actionem
„ vero ☿rii pro lubitu ad loca meliora de-
„ rivare possumus. Ergo qvotidie ad. gr.
„ xij vel xjv ☿um adhibui, donec signa
„ salivationis, fœtor & halitus putridus, a-
„ nimi deliqvia, & alia symptomata accesse-
„ runt. His signis adparentibus ▽a hordei
„ cum lacte pro potu fuit. Qvo autem ma-
„ jor salivatio fiat, fomenta ad caput ad-
„ plicanda sunt. Observamus enim iis, qvi
„ ☿um adsumunt, & caput valde tegunt,
„ caput in primis tumere, iis autem, qvi
„ pedes tegunt, pedes magis intumescere,
„ eosqve vix salivationem pati; illi deniqve,
„ qvi abdomen tegunt, diarrhœa fere labo-
„ rant. Qvia vero hoc malum curandum
„ in capite est, actionem ☿ii ad caput ut
„ derivemus, necesse est. Hinc iis caput

„ linteis ▽a calida madidis tegi debet, ut „ salivatio eo melius succedat. Et omnino „ remedium arcanum est salivatio etiam in a- „ maurosi „. De qva perinde R. MEAD (d) „ hoc ego (ait) usus experimento, dum „ juvenis adhuc medicinam facerem, pau- „ peribus primum in nosocomio, deinde & „ aliis, visum... reddidi, laudantibus Me- „ dicis, qvi ad id usqve tempus malum hoc, „ cum invaluerat, immedicabile esse puta- „ rant „. Haud secius, si qvibusvis aliis præ- sidiis „ cedere recuset morbus confugien- „ dum, inqvit F. HOFFMANNUS (e), ad „ lenem salivationem, cujus ope nonnullos „ a cœcitate gravi sanatos novi „. A. WESTPHAL (f) refert puero egeno summe cacochymico, pedibus nudis semper incedenti, ac per 24 hebdomades plane jam cœco, cum oculis valde turbidis, atqve hinc inde, præsertim prope pupillam, albis maculis apparentibus, cumqve continuo fere capitis, maxime in regione frontis, dolore, post 8 hebdomadum usum ☿rii dulc. cum triplo lap. 69, & decocti ex rad. chinæ,

(d) Monit. & Præc. med. Cap. 10. Sect. 1.
(e) l. c. thes. therap. §. 5.
(f) Act. nat. cur. Vol. 8. Obs. 62.

ſarſaparillæ, bardanæ, & ſcrophulariæ, nec non veſicantium ad ſuras, ad oculos vero epithematum ex herbis roborantibus ac diſcutientibus, interpoſitis ſubinde eccoproticis, viſum ita rediiſſe, ut & colores varios diſcernere, & majuſculum typum legere qviret, uſqve dum demum plene, ut ante, viſu polleret. Perinde, narrante G. H. BEHR (g) „ uxor nautæ... 42 annor. ſtaturæ gracilioris, macilentioris, temperamentiqve cholerico-melancholici, per aliqvot jam annos de intenſiſſimis capitis doloribus conqveſta, ante 11, & qvod excurrit, menſes inopinanter ... viſionis ſenſu privata erat, ita ut ocellorum nullo aliqvid cognoſcere aut percipere poſſet... Multa incaſſum ante adhibita: tandem ... ſalivationis curam ... panacea ... ☿li adeo fortunate abſolvit, ut inſeqvente 4ta ſeptimana lucis prius amiſſæ radios reſpicere ... atqve paulo poſt gemino rurſus frontis ſidere cuncta diſtincte accurateqve diſcernere poſſet „. Neqve minus notus eſt L. HEISTERI (h) ca-

(g) Commerc. Nor. T. 3. A. 1733. hebd. 27. p. 212.

(h) Diſſert. cit. §. 1. 17. ſqq.

ſus: „ mulier (inqvit ille)... 46 annos na-
„ ta, pallida, macilenta, catarrhis ſæpius
„ obnoxia, aliqvando matutino tempore
„ ſurgens bene adhuc videt; poſt horam circ.
„ levi caligine oculorum corripitur, qvæ
„ ſenſim ita augebatur, ut circa meridiem
„ tam cœca facta, ut ne minimam lucis &
„ tenebrarum diſtinctionem amplius percipe-
„ ret, caput dolore gravativo diſtendente
„ dolere incipit, & ſic per 14 circ. dies in
„ miſero hocce ... ſtatu degebat... Ego
„ adveniens ægram de perfectiſſima cœcita-
„ te utriusqve oculi conqverentem inveni:
„ oculos binos examinans ſanis prorſus co-
„ gnovi ſimiles, ac nihil qvidqvam vitii in
„ eis obſervare potui, præterqvam pupil-
„ lam valde dilatatam, ſed nigram; tandem
„ omnibus experimentis percepi, ægram
„ omni viſu penitus privatam eſſe. Præter-
„ ea in cauſas procatarcticas mihi inqviren-
„ ti nihil aliud ægra referre noverat, qvam
„ qvod ſæpius antea cephalalgia gravativa
„ & catarrhis fuerit afflictata, a menſe cir-
„ citer ante cœcitatem elapſo meminit, ſe
„ cornu vaccino ictum, cum in lacte emul-
„ gendo occupata eſſet, accepiſſe in capite,
„ attamen per integrum illum menſem nul-
„ lum ſingulare incommodum inde percepiſ-
„ ſe. Ceterum ſatis valebat, menſes ordi-

„ nario adhuc modo ſe habebant, parum
„ vero appetebat. Hæc ægra non ſolum,
„ qvo morbo laboraret, ſcire deſiderabat,
„ ſed potiſſimum, ut viſus ipſi reſtituere-
„ tur... Igitur & ſine ulteriori mora cum
„ ægra noſtra ſalivationem ☿lem inſtituen-
„ dam conſultum duximus, cujus regimen
„ jam trademus. 1°) ut corpus ægræ ad
„ ſalivationem rite diſponeretur, Væ Sem
„ inſtituimus, etiam ſi ceteroqvin nulla ſan-
„ gvinis mittendi urgens indicatio adeſſet,
„ ſed ut ☿io ac diſſolventibus remediis eo
„ melius ſpatium paretur in vaſis ſangviferis,
„ qvo liberius agere qveant. 2do) Ad pri-
„ mas vias expurgandas ſeqvens medicamen-
„ tum hydragogum exhibuimus:

℞. ☿rii dulc. ℈ ſs.
Reſ. Jalapp. ſubact. gr. vij.
Conſ. fl. tunic. q. ſ. F. bolus,

„ qvem ægra veſperi aſſumpſit, unde altero
„ die aliqvoties dejecit. Poſtridie purga-
„ tionis cum de nauſea & conatu vomendi
„ conqveſta eſſet, exhibitum fuit lene vo-
„ mitorium, nempe

℞. ♀ emet. gr. ij.
Sacch. alb. ℈ſs. M. F. ℥, a qvo
„ cum regimine optime vomuit, & nauſea
„ periit. Interea pro potu ordinario ad

„ sangvinem attenuandum seqventi uteba-
„ tur decocto:

℞. Passul. minor. ℥j.
Rad. Sarsæparill.
—— Chinæ
—— Liqvirit.
Rasur. CC. aa. ℥ß.
Sem. Anisi ʒij.
Cinnam. ʒj. M. incis. & contus.
coq. in ▽a fontan. ℔. viij. per
„ $\frac{1}{4}$ h. Colatura servetur pro usu, de qva
„ bibit pro libitu. Postea ad ☿rii applica-
„ tionem, ipsiusqve salivationis excitatio-
„ nem progressus factus est, nempe

℞. ☿ dulc. gr. xxx.
Extr. fumar. q. s. F. pilul. 30 de
„ qvibus qvotidie 10 sumpsit; simul se-
„ qventi ungvento glandulas parotides qvo-
„ tidie inungebat:

℞. ☿ crud. ℥ß.
Axung. porcin. q. s. F. Ungv.
„ De hoc ægra singula vice magnitudinem
„ fabæ in qvovis latere affricavit, ut sic eo
„ melius ☿us ad vasa salivalia determinare-
„ tur. Ad eundem scopum errhinum, &
„ qvidem seqvens, utile judicavimus:

℞. ☿ dulc. gr. ij.
Sacch. alb. gr. x. M. F. ♁, de
„ qvo subinde gr. j. naribus hausit, unde le-

„ nem in naribus percepit ſtimulum. Cum
„ poſt triduum nulla adhuc ſalivationis ſigna
„ adeſſent, variationis gratia loco priorum
„ pilularum interne ſeqvens ordinatum eſt
„ medicamentum ☿le:

℞. ☿ dulc. ℈ß.

Conſerv. roſar. ℥j. M. F. bolus.

„ D. in triplo pro 3 doſibus, qvotidie unam
„ aſſumendam. A qvorum uſu tandem die
„ 6to lenis ſalivatio oborta eſt. Die 9no
„ curationis incepit veſperi, cum candela
„ in cubiculum apportaretur, lucem a te-
„ nebris diſtingvere. Poſtea cum ſaliva-
„ tio admodum parva eſſet, ut melius pro-
„ cederet, ſingulo biduo ſimilem bolum
„ ☿lem denuo aſſumpſit; & cum ægra la-
„ ctis deſiderio corriperetur, cujus potu a-
„ lias delectabatur, minime hoc ipſi dene-
„ gavimus, ſed loco decocti illius ordinarii
„ hydrogala uſa eſt ex parte j lactis & ▽æ
„ partibus jv paratum, leniter ſimul antea
„ coctis, imo etiam ſubinde lac ebutyratum
„ deſideravit, & bibit. Sic ſalivatio me-
„ lius, qvam antea, proceſſit, ſine ullo in
„ faucibus incommodo, dolor capitis remiſit,
„ & circa diem 14 homines atqve colores
„ inſigniores diſtingvere cœpit. Die 16 tem-
„ pore matutino vomitu ſpontaneo correpta
„ fuit, ob qvem Diaſcord. ℈ij aſſumpſit, &

„ ventriculo empl. de Tacamahac. impositum fuit. Nausea tamen postea ægram adhuc per 4 vel 5 dies vexaverat, tamen sine vomitu, & forte a lactis usu oriebatur; interea tamen ægra lacte potius, qvam alio potu medicamentoso (qvorum varii conficiebantur) uti malebat. Ne autem salivatio prorsus remitteret, qvæ tunc lenissima erat, ad eam denuo exsuscitandam, seqventibus postea usa est pilulis:

℞. ☿ dulc.
Extr. Gentian.
—— Absinth. aa. ℈ij. M. F.

„ pil. pond. gr. j. de qvibus singulo vesperi 10 assumebat: unde salivatio blanda & lenis continuata est usqve ad 30 circ. diem, & visus qvotidie auctus. Interea pro ventriculo continuo nauseante roborando seqvens tragea ordinata fuit:

℞. Sem. Anisi
—— Fœnicul. aa. ℥ij.
Cinnamom.
Macer. aa. ℈jv. M. F. trag. de

„ qva aliqvoties qvotidie assumat circ. ʒj. pro dosi. Præter hydrogalæ potum seqventibus speciebus usa est instar Thee bibendis:

℞. Herb. Betonic.
—— Euphras. aa. ℥j.
Cinnamom.
Sem. Fœnic. aa. ʒj.

„ Incis. & contus. crasso modo D. pro in „ fuso pugillari mane & a meridie instar „ Theæ sorbillando. Die 34to, cum sa- „ livatio jam a biduo cessaverat, extra ur- „ bem (erat enim mense Junio) sine ducto- „ re, omnium cum admiratione, prodeambu- „ lare cœpit, & qvotidie visus majorem acqvi- „ sivit perfectionem. Svasi, ut qvotidie con- „ tinuaret tragea illa ac Thea medicata, at- „ qve singulo triduo de pilulis ultimis unam „ caperet dosin, ut lenissima adhuc aliqvamdiu „ salivationis vestigia maneant. Qvod cum „ ageret, factum est, ut 5 septimanis per- „ actis domum . . . pedibus reversa sit, o- „ mnia satis accurate dignoscens. Ubi au- „ tem adhuc per 14 dies medicamentis mo- „ do dictis continuavit; qvibus ita conva- „ luit, visumqve talem recuperavit, ut le- „ gere, suere, fila per acus etiam tenuissi- „ mas transmittere . . . potuerit, & adhuc „ hodie, dum hoc scripsi, possit. Tempo- „ re curationis pro cibo nihil aliud, qvam „ subinde tenue qvoddam jusculum assumpsit. „ Topica medicamenta oculo adhibita non „ sunt; qvia ob profundiorem mali situm „ parum in hoc morbo præstare possunt ef-

„ fectus. „ Porro (*i*) studiosus ejusdem occipientem amaurosin cum vehementi dolore & carie septi narium passus, post varia multis mensibus incassum usurpata leni demum ptyalismo convaluit, seqventem in modum excitato:

℞. ☿ Jalapp. ℈j.
☿ dulc. ℈ß.
Diagryd. sulph. gr. v. D. S. mane pro una dosi.

℞. Rad. Sarsapar. ℥iij.
Herb. Euphras. M. j.
Ras. ling. Sassafr. ℥j. M.
conc. gr. m. D. Spec. pro infuso bis per diem forma Theata bibendo; reliqvum vero in ℔ jv aqvæ decoctum potui serviat.

℞. ☿ purif. n. gr. v.
Matr. perl. præp.
♁ii diaph. aa. ℈j. M.
F. ☿ D. in xij. p. æqv. S. No j bis per diem cum potu prius dicto.

℞. Ungv. nigr. n. ℥jß. D. ad fict. m. & v. carpis manuum infricandum.

Ab his ubi die qvodam ptyalismus occepit, posteroqve die ultra mensuras duas æger

---

(*i*) Med. chir. u. anat. Wahrnehm. 2 Band No 375. p. 700.

ſputaſſet, ☿rii dulc. uſu ſepoſito, lituqve non niſi veſperi imperato, amplum inter ſcapulas veſicans appoſitum eſt, ac ſeqvens collyrium præſcriptum:

℞. ▽æ Valerian.
Fœnicl.
Euphraſ. aa. ℥ij.
Reg. Hung. ℥ß.
Sal. vol. oleoſ. ʒj. M. D.

pro oculis ſæpius per diem illinendis. His remediis æger intra menſem prorſus iterum convaluit. Porro juvenculam ſalivationis ope ab utriusqve oculi amauroſi A. Q. RIVINI opera liberatam narrat ISAACUS (*k*). Hæc itaqve ſatis, opinor, oſtendunt, ☿um ad amauroſin debellandam ingentis eſſe efficaciæ remedium. Rejicit illum tamen ſumma cum ſeveritate C. E. ESCHENBACH (*l*) ſeqventem ob caſum vel maxime ejus ab uſu deterritus: E. F. BURCHARDUS „ vir „ ... doctus, annos 24 natus, tempera„ menti cholerici, habitus corporis ſtrictio„ ris, ſtaturæ mediocris, ſanus atqve inco„ lumis, tempore hyberno milliaria qvæ-

(*k*) Diſſ. de ſalivat. ☿li &c. 4to Halæ. Præſide STAHLIO.
(*l*) l. c. Obſ. 20.

dam

„ dam ab urbe noſtra cum amico proficiſcitur,
„ & domum reverſus brevi poſtea ex refri-
„ geratione, uti opinabatur, in itinere per-
„ peſſa mane ſurgens alterius oculi uſum,
„ antecedente veſpera, dum cubitum iret,
„ adhuc illæſum, eſſe amiſſum percipit,
„ bulbo ipſo nihil plane vitii monſtrante.
„ Ipſe, cum eſſet Medicus practicus, gut-
„ tam ſerenam ſibi adeo ſubitaneam adveniſ-
„ ſe cognoſcebat. Mali gravitatem contem-
„ plans, & de altero etiam oculo adhuc-
„ dum ſano metuens ... ſtatim experiri ...
„ ☿rii uſum ad mediocrem ſalivationem
„ uſqve ſtatuebat. Hæc ſtrenue exſeqvens,
„ & ſputatione jam jam ad finem iterum
„ properante, poſtqvam ultra 14 dies dura-
„ verat in gradu mediocritatem paulo adhuc
„ ſuperante, e cauſa qvadam accidentali ira
„ vehementius excandeſcit, forte & aerem
„ liberiorem, tunc temporis frigidiorem,
„ incautius admittit. Exinde mox corripi-
„ tur ſpaſmodica pectoris conſtrictione, qva
„ diæta & medicamentis congruis iterum de-
„ bellata, & ſalivatione continuo durante,
„ inſimul vero magis magisqve decreſcente,
„ imo & finita fere, 8° circ. ab experta ira-
„ cundia die, poſt præcedentem gingiva-
„ rum cruentationem, ægroto ex improvi-
„ ſo & ſponte vas qvoddam ſangviferum

„ aperitur in faucibus, qvod per horarum
„ aliqvot ſpatium tantam emittebat ſangvi-
„ nis copiam, ut affluentem continuo cruo-
„ rem cum ſaliva, ipſa adhucdum aliqvali-
„ ter fluente, permixtum æger vix poſſet
„ exſpuere, qvin ſtatim iterum os ſangvine
„ eſſet repletum, cujus qvantitas qvoqve
„ deglutita ad ventriculum deferebatur. Flu-
„ xus hic cum 12 horas, a meridie uſqve
„ ad mediam noctem, duraviſſet, tandem
„ ſponte ſiſtebatur; medicamenta enim aſ-
„ ſumpta atroci illi ſymptomati nil qvidqvam
„ derogabant. Qvo facto ventriculus cruo-
„ rem deglutitum atqve coagulatum vomi-
„ tu rejiciebat in magna copia, adeo ut ef-
„ fluxi atqve rejecti ſangvinis qvantitas ge-
„ neralis facile aliqvot libras æqvaret pon-
„ dere. Poſt ſuperatum hoc accidens, ...
„ æger vires amiſſas recuperare omni ſtudio
„ laborabat, qvæ etiam pedetentim rever-
„ tebantur, in primis cum appetitus acce-
„ deret bonus. Verum enim vero poſt ela-
„ pſos alios dies circ. 8 ſine omni errore
„ diætetico noviter commiſſo, dum una cum
„ proxime cognatis æger pranderet domi,
„ ... de facta qvaſi cum cultro per caput
„ interius transverſim adacto ruptura in ce-
„ rebro improviſa ſubito conqveritur, ad
„ lectum properans ... Ibi ... jacentem re-

„ perio, qvi vix malum ipſi ſuperventum „ narrabat, cum leviter jam delirare, & „ præſertim pedes more incongruo... lecto „ emiſſos commovere inciperet, accedente „ poſt unum alterumve verbum prolatum „ ſemihora a dicta ruptura accepta morte... „ placidiſſima. Sectio poſt obitum non con- „ cedebatur. Interim prægreſſus cruor pri- „ mo e gingivarum vaſis dilatatis, deinde e „ majori in faucibus vaſe ſangvifero fluens, „ hac etiam vice vas ejusmodi ſub cranio „ ſponte eſſe ruptum, & effuſum ſangvinem „ qvocunqve loco emiſſus ſteterit, copia „ atqve gravitate ſua cerebrum letaliter „ compreſſiſſe vero eſt ſimillimum „. Hac obſervatione præmiſſa pergit „ poſito (in- „ qviens), qvod obſervationes iſtæ omni „ ex parte fuerint completæ id eſt, qvod „ in hiſce ægrotis tam revera amauroſis ad „ fuerit, ☿rii uſu, nec forte alia qvadam „ cauſa accidentali abiens, qvam poſtea „ nunqvam redierit. Id ultimum enim ac- „ cidere interdum, & guttam ſerenam non „ in omnibus ægrotis, continuatis æqvali „ modo paſſibus augeri, ſed qvandoqve per „ aliqvod tempus remittere, experientia „ clinica jam dudum Medicos edocuit: nec „ ſemper occaſio adeſt, ejusmodi ſanatos „ poſt aliqvod tempus peractum denuo in-

„ visendi, variis qvippe mutationibus & lo-
„ ci & aliis interdum obnoxios. Interim
„ & contra ea dantur historiæ multo plures
„ salivationis in morbo dicto nullam plane
„ efficaciam edentis, qvales a Medicis fide
„ dignissimis mihi relatas qvasdam novi,
„ & nonnullas ipse annotavi in Tract. qvem
„ de Oculista Anglo TAYLOR nominato
„ lingva composui vernacula Rost. 1752 im-
„ pressum: qvod idem ægrotus supra... de-
„ scriptus testatur, plane nullum qvippe le-
„ vamen morbi e salivatione, licet sufficien-
„ ti, percipiens. Et sane si guttæ serenæ,
„ qvæ est nervorum affectio, naturam per-
„ pendamus, & ☿rii contra affectus paraly-
„ ticos vires experientia præeunte percon-
„ temur, ipsius efficacia ad debellandam gut-
„ tam serenam, qvæ species habetur para-
„ lysis, maxime redditur dubia; qvin &
„ istam aliqvando exinde provocatam au-
„ ctores (*m*) observarunt. Qvamvis enim
„ ille inter subtilissima atqve fortissima medi-
„ camenta aperientia adhucdum cognita re-
„ censeri mereatur; nihilominus contra pa-
„ ralysin, nisi sub certis conditionibus, iis-
„ qve accidentalibus (e. g. si nervi compres-

(*m*) Misc. nat. cur. Cent. 7. Obs. 82.

„ ſio ſola, orta a vaſe ſangvifero aliove ob-
„ ſtructo, ſicqve dilatato ab humore nimio,
„ libere haud transeunte, morbum produ-
„ xerit), nil valere eundem clinica expe-
„ rientia monſtrat. Unde recte concluditur,
„ ipſius ſubtilitatem ad eum nondum aſcen-
„ dere gradum, ut canaliculos nervorum
„ intrare qveat; inqve iis vim ſuam ape-
„ rientem exſerere. Qvin imo, etiamſi
„ diætæ errores ... vel pauci vel nulli pe-
„ nitus accedant, varia mala ejus uſum ad
„ ſalivationem usqve protractum fuiſſe ſe-
„ cuta, præter experientiam qvotidianam
„ Auctorum hiſtoriæ relatæ teſtantur (*n*).
„ G. de RABOURS (*o*) generatim de ma-
„ lis aſſumptum in larga doſi hydrargyrum,
„ hinc ſalivationem qvoqve, nonnunqvam
„ ſeqventibus ſic loqvitur: *nec* hæmorrha-
„ giæ *ſolum periculi genus eſt, qvod inde per-
„ timeſcas. Sæpe integris vaſculis ita incu-
„ neatur* (☿ us), *ut membranas dolorifice di-
„ ſtrahat, prætereuntibus liqvoribus ponat*

(*n*) Annal. Vratisl. Tent. 7. A. 1719. p. 344. M. ALBERTI Prax. extempor. Caſ. 16.

(*o*) Qvæſt. med. an in lue Vener. parciores & longius diſſitæ ☿ ii doſes plenioríb. & crebriorib. anteponendæ? Pariſ. 1739. §. 4. p. 6.

„ *obicem, ſpirituum animalium curſum com-*
„ *preſſis nervis intercipiat, partes ubiqve gra-*
„ *vet. Cephalæam itaqve*, deſipientiam *qvan-*
„ *doqve*, cœcitatem, lethargum, *pectoris*
„ *ſuffocationem, anxietatem, anorexiam,*
„ *tormina, dyſuriam, artuum tremores*, pa-
„ ralyſin, *& infinita hujus generis mala ex-*
„ *citat.* Idem optimi Auctores varii, qvi
„ de ſalivatione, de ☿io, & de morbis a-
„ gunt, in quibus hic potiſſimum in uſum du-
„ citur, affirmant. Ne tandem dubium re-
„ maneat ullum, qvod etiam in caput atqve
„ cerebrum omni ſua vi agere qveat Mercur.
„ exempla proſtant globulorum Mercurial.
„ poſt mortem in craniis apertis invento-
„ rum, qvalia referunt R. LENTILIUS (*p*)
„ & J. J. WEPFERUS (*q*) „. Hæc ille.
Sed nos theoremata haud magni facimus, neqve ulli credo mortalium incidit præbere eo fine Mercur. ut canaliculos nervorum intrare qveat, ſed ut vaſa lentore farcta fundendo & evehendo humores depleat, a qveis prius nervi optici premebantur. Haſne vero conditiones qvis accidentales eſſe ESCHENBACHIO hic dabit? Neqve nos

---

(*p*) Miſc. med. pr. P. I. p. 74.
(*q*) Tract. de apoplex. p. 303.

eventus ptyalismi hinc inde sinistri morantur, qvales omnibus aliis etiam remediis eodem jure objicere licet. Sed qvorsum hæc omnia nobis, dicet qvis, si usqve adeo raro Mercur. amaurosin tollit? sane G. A. RICHTERUS (r) „ Mercurium ... profuisse „ nunqvam observavit „. Et W. ROWLEY (s) ex pluribus centenis ægris amaurosin passis non nisi binis visum restituit ope mercurii ac sarsaparillæ. At feliciorine, qvæso, successu alia ad amaurosin laudata præsidia gaudent? Multone plures seu ♀o emetico seu alio qvovis remedio visum recepere, qvam qvot ☿rio sanati sunt? Jure hic eadem de ☿rio, qvæ recte STÖRCKIUS de Cicuta (t) notavit, pronunciare licet. Neqve me fugiunt etiam casus ii, in qveis amaurosis a ☿li ptyalismo inducta videri posset; sed id genus amauroses non tam ipsi ☿li ptyalismo, qvam eidem potius ad frigus capiti admissum interturbato, tribuendas esse vel unus in testem sufficiet H. HEINRICI (u): „ femina ... erat (narrat ille),

(r) l. c. p. 87.
(s) A Treat. on the princip. Diseas. of the Eyes.
(t) Vide §. 72. No 2.
(u) l. c. p. 10. sq.

„ cui ☿ dulc. pro ſalivandi fine doſibus ex
„ minoribus ad medias ſucceſſive aſcenden-
„ tibus, injuncto regimine dedi; cum in
„ propinqvo eſſet ſalivæ fluxus & moderate
„ inciperet, ea rixantes in platea vicinas
„ inauditura caput per feneſtram proſpicien-
„ do exponit aeri frigidiori, qvalis ſolet eſ-
„ ſe adulto autumno, poſtea turbatur caput
„ vertigine, titubat, cadit ſuper lectum,
„ tranſit vertigo, ſed ſcotomia tranſit in
„ cœcitatem ſubitaneam, verbo: in guttam
„ ſerenam: durat hæc integrum diem, alte-
„ ro mihi nunciatur malum. Jubeo tantiſ-
„ per ſeponere ☿lia, porrigoqve purgans
„ ad derivandos humores: redit tantiſper vi-
„ ſus, purganteqve iterum repetito, melius.
„ Jubeo qvieſcere per binos adhuc dies,
„ ne purgans præmiſſum fruſtraret effectum
„ ſalivatorium. Poſtmodum vero repetere
„ ☿lia ad perfectam ſalivationem, tanto
„ cautiori regimine moderandam. Seqvitur
„ ptyaliſmus largus per 14 dies & ultra, nec
„ qvidqvam denuo læditur viſus, ſed po-
„ tius debilitas ejus adhuc reſtans ceſſat pe-
„ nitus, manifeſto indicio, non ☿um, non
„ ſalivationem, ſed hujus incipientis reſtri-
„ ctionem, humorumqve ad cerebrum re-
„ gurgitationem, in cauſa mali illius fuiſſe.
„ ... Vidi tamen etiam eandem (amauro-

„ ſin) a ☿rio dulci pro ſalivatione puero „ moderatiſſimis doſibus exhibito ſub frigi- „ diuſculo itidem regimine non ſeqvente ſa- „ livatione, ſimile ſymptoma ſecutum, ad „ qvod territus Medicus cum ſeponeret pe- „ nitus ☿lia, nec ad effectum ſalivatorium „ ſatis dirigeret, permanſit qvoqve cœci- „ tas, qvæ ſine dubio ceſſaſſet, ſi debite „ fluxiſſet „.

§. 74.

In *ſyphilitica* autem *amauroſi* (*x*) nihil ☿io efficacius eſſe, nemo, opinor, vel addubitabit, cum luculenta hujus mali ☿rio qva cum ſalivatione qva citra eandem curati exempla exſtent. Sic A. SPIGELIUS (*y*) „ vidit hoc morbo ex lue venerea laborantem, qvi hydrargyro inunctus, liqvefactis „ omnibus humoribus ſanitati reſtitutus „ fuit „. Perinde D. NEBELII (*z*) „ vir „ qvinqvagenarius & robuſtus per aliqvot „ annos ozœna non ſine luis venereæ ſuſpi- „ cione laborans ... opem imploravit, de

(*x*) Vide §. 49. d).
(*y*) De hum. corp. fabr. L. 7. C. 2. p. 244.
(*z*) Miſc. nat. cur. dec. 3, ann. 9. obſ. 123.

„ dolore frontis, oculorum, genarum, at-
„ qve narium, cum harum pertinaci obstru-
„ ctione a muco viscido in subvirides par-
„ ticulas coacto, & fœtore odoratusqve de-
„ fectu potissimum conqvestus. Adhibita
„ mox fuerunt tum interna decocta lignorum
„ cum TRa ♂ii 🜔sata, & pilulæ ex gum-
„ mi ammon. myrrha, sal. vol. viperar. &
„ cinnab. nativa præp. qvibus sudor per plu-
„ res septimanas prolectus, interpositis sæ-
„ pe purgantibus ☿libus, tum externa de-
„ tergentia & mundificantia naribus per sy-
„ phonem & cum turundis penicillisqve im-
„ missa ex ▽a plantag. tutia præp. myrrha
„ & sacch. ♄ni, item ▽a calc. vivæ, cui
„ radices aristoloch. rot. summitates centau-
„ rii min. folia sabinæ & myrrha incocta,
„ tandemqve TRa euphorb. cum 🜄 para-
„ ta, qvibus 2 frustula ossei dissepimenti na-
„ rium paulo post separata, & volsella binis
„ vicibus extracta fuerunt, succedentibus fis-
„ suris atqve pustulis narium pinnas exe-
„ dentibus, qvæ consolidatæ tandem lini-
„ mento ex bals. Peruv. & Copayv. terr.
„ vitr. dulci, sarcocolla, ☿ 🜍 rubro, &
„ melle rosaceo, præmisso usu externo
„ ▽æ phagadenicæ. Molestus tamen adhuc-
„ dum fuit capitis dolor vespertinus, & ar-
„ tuum lassitudo cum profluxu ichoris flave-

„ ſcentis ac purulenti e naribus, qvo dimi-
„ nuto viſus in dextro oculo paucos intra
„ dies periit, & poſt ſeptimanam, fluxu il-
„ lo narium penitus ceſſante, alter qvoqve
„ oculus admodum caligare cœpit, nulla in
„ utroqve labe apparente, præter pupillæ
„ dilatationem & oculorum dolorem. Pur-
„ gantia, veſicatoria, errhina, ſal. volati-
„ lia, & cinnabarina fruſtra in uſum voca-
„ ta ſunt: unde ad generoſiora, ipſamqve
„ inunctionem ☿lem deventum, qva debi-
„ te inſtituta primo diarrhœa, & hac diaſcor-
„ dii ope ſublata, largus ſalivæ fluxus ſecu-
„ tus, atqve ita cephalalgia diminuta, &
„ priſtina videndi potentia oculo ſiniſtro
„ paulatim reſtituta, ſed dextro denegata,
„ licet ſaliva per 4 ſeptimanas largiter diu
„ noctuqve ex ore diſtillaverit. Poſtqvam
„ ptyaliſmus remiſit, particula oſſei ſepimen-
„ ti ſponte ſeparata e naribus extracta fuit,
„ & æger ſic ſenſim integram ſanitatem re-
„ cuperavit, qva etiamnum per 3 annos ſi-
„ ne ullo recidivæ metu fruitur „. Pari mo-
do L. HEISTERI (*a*) famulus ſyphiliticus
ex ulceribus externis incongruo litu tracta-
tis in 8 hebdomadum amauroſim incidit. Die

(*a*) Medic. chir. u. anat. Wahrnehm. 2 Band No 19.

10ª Septembr. præſcripta ſunt remedia ſeqventia:

℞. MP. polychr. noſtr. ʒß. F. pil. No 26. conſp. ♁e liqvirit. S. No 13 veſperi cum cerevifia.

℞. Lign. Saſſafr.
Rad. Liqvirit. aa. ℥j.
—— Valerianæ
Sem. Fœnicul. aa. ℥ß. M. craſſe conciſ. D. & qvovis mane eorum cochlear ½ coqv. in ▽æ ℔. jv. Poſt alvum pilulis rite motam videbatur viſus aliqvatenus emendari. Die 13ª Septembr. porro datum

℞. ☿ dulc. ppt. ʒijß
Cinnab. nativ. ʒß
Sacch. alb. ʒiij. M. S. m. v. & meridie ad cultri cuſpidem. Porro

℞. Ung. ☿lis ℥j. pro illitu in articulos ac parotides.

℞. ▽æ Roſar. ℥ij.
♌ Anthos ℥ß. M. F. Collyr. cujus qvotidie aliqvoties qvidpiam oculis inſtillet, palpebrisqve illinat. Ptyaliſmo finito priſtinus revertit viſus. Citra omnem vero ptyaliſmum I. F. CONSBRUCH (*b*) morbum hunc ope ☿ ♎ corroſ. c. ♌ frum. profliga-

(*b*) Nov. act. nat. cur. Tom. 5. Obſ. 25.

vit: „ ſartor (ait ille) 40 & aliqvot annor.
„ homo bibax & libidinoſus menſe Septem-
„ bri A. 1766 meum petiit conſilium. Is
„ jam ultra annum viſionem ſibi ſenſim he-
„ beſcere ſenſit, deniqve omnia, qvæ aſpe-
„ xit, tenui qvaſi nube velata apparuerunt,
„ oculiſqve ignes obverſati ſunt variis ſplen-
„ dentes coloribus. Ego tum oculos inſpi-
„ ciens, eos neqve inflammatos neqve ma-
„ le ſerenos deprehendi, ſed mira iſta iri-
„ dis ad lucis mutationes ſenſibilitas languit.
„ Ægrotus multa medicamina incaſſum ſe
„ uſurpaſſe conqveſtus eſt; aſt reſcivi, il-
„ lum qvondam venerea labe fuiſſe inqvi-
„ natum, qvod & æger demum mihi eſt con-
„ feſſus, licet nullum amplius vulgarium hu-
„ jus mali ſymptomatum in corpore ſuper-
„ eſſet. Itaqve procul dubio viſus depra-
„ vatio a venerei virus reliqviis in oculo-
„ rum nervos translatis provenit. Qvamob-
„ rem... præſcripſi ad modum Ill. de HAEN
„ (c) ☿ ≏ corroſ. gr. iij. in Ω frumen-
„ ti ℥vj ſolvenda. De hoc medicamine æ-
„ ger m. & v. cochl. j ſumens, poſt qvam-
„ vis doſin libram apti alicujus decocti aqvo-
„ ſi (qvale illud fuit ex radicib. althææ,

(c) Rat. medendi P. 2. C. 12. p. 174.

„ bardanæ, & liqviritiæ), affuſo prius la-
„ cte, debuit bibere. Alvus interdum pi-
„ lulis ☿ lib. pharmacop. Wirtenbergicæ ex-
„ purgata fuit. Fateor, me in danda ☿ ♎
„ corr. ſolutione ſub initio timidum fuiſſe,
„ qvum ægrotus macilentus eſſet, & ſicca
„ tuſſicula crebro divexaretur; metum ta-
„ men excuſſit ejusdem remedii ſemper abſ-
„ qve noxa a me adhibiti memoria. Sar-
„ tor vero cum ſentiret oculis ſuis oppor-
„ tunam eſſe hanc medicinam, ſæpe per diem,
„ me inſcio, 5 illius cepit cochlearia, qvod
„ cum mihi enarraret, ſerio prohibui. Ul-
„ tra 7 menſes medicamina aſſumpſit, aſt
„ non continue, prout enim morbum auge-
„ ri vel imminui putavit, remedia accipere
„ aut negligere ipſi placuit, neqve curatius
„ diætæ præcepta obſervavit. Nihilominus
„ his ita peractis falſa iſta igniculorum ſimu-
„ lacra deſierunt oculis illudere, & æger
„ tam bonum obtinuit viſum, ut filum prom-
„ pte in acum trajicere, & opificium ſuum
„ tam interdiu qvam ad lumen nocturnum
„ exercere poſſet„. Eandem hujus ipſius
remedii efficaciam G. H. HUDEMANN (*d*)

(*d*) Diſſ. de cicutæ, merc. ſubl. corroſ. & phoſ-
phori uſu interno. 4to Helmſtad. 1763.

obſervavit, ſeqventemqve ceteris omnibus præfert formulam:

℞. ▽æ Cinnam. vinoſæ ℥ v.
☿ ♎ corroſ. ℈ ß
Syr. capill. Ven. Monſpel. ℥j. M.

S. qvovis veſpere ʒj. vel ʒjß. Hæc proinde ☿ii in curanda amauroſi venerea efficaciam ſatis ſuperqve evincunt. Unde J. L. SCHMUCKER (*e*) „ amauroſis (inqvit) a „ miasmate venereo profecta ſolo ☿io eſt „ medicabilis, qvo nil proficiente nullum „ plerumqve ægris remedium eſt reliqvum „. Similia qvoqve paulo etiam poſt (*f*) repetit: „ amauroſeos (dicens) a cauſa ſyphilitica natæ efficaciſſimum remedium eſt ☿us „ externe haud ſecius, qvam interne adminiſtratus, vidiqve ſæpenumero id genus „ cœcitatem ſub ipſa ſalivatione, aut alia „ qvavis citra iſtam methodo, evanuiſſe: „ nihilo tamen minus hujusmodi ægris per- „ curato malo venereo, ſi viſus etiamtum „ erat imbecillior, millepedes etiam colly- „ riumqve (g) uſui dedi. Qvocunqve au- „ tem (ſubjungit) alio in caſu ☿us nun-

(*e*) l. c. p. 8.
(*f*) Ibidem p. 24.
(*g*) Vide §. 103. B. No. 3.

„ qvam eſt ſvadendus ; ut qvi tenero in „ texto vaſculoſo oculorum moras trahen- „ do malum potius augere qveat „ . Sed huncce metum nobis allata paulo ante (*b*) exempla auſpicato eximunt.

CAPUT. VIII.

NERVINA.

§. 75.

NERVINA ad obtinendam amauroſeos curationem e duplici claſſe petenda eſſe, obſervatio cauſæ & remediorum ſucceſſus docuit. Enim vero cum amauroſis ea ſit nervorum affectio, ut vel *paralyſi* vel *ſpaſmo* debeatur; clarum eſt, prout hicce vel illa præſto fuerit, nervina qvoqve ejusmodi eſſe in uſum vocanda, qvæ vel ſpaſmum præſentem abigere, vel paralyſin, paræſin, atoniam tollere, tonumqve priſtinum reſtituere qveant. Qvamobrem

---

(*b*) Præced. §. 73.

§. 76.

§. 76.

I. ANTISPASMODICA *pacantia* nervorum turbas egregie ſæpenumero profuiſſe viſa ſunt, inter qvæ Opium primas tenet. Sic teſte CAMERARIO apud I. SCHENCKIUM (*i*) „ J. LANG ex ingentiſſimis capitis cruciatibus, nec non & vigiliis derepente occœcatus eſt; cui cum gr. 5 „ opiati extracti exhibuiſſem, ſomnus acceſſitus, dolorqve ablatus, & ſubito qvoqve uno momento viſum recepit „. Meminit qvoqve R. LENTILIUS (*k*) matronæ ad 36 annos natæ, qvæ ex atrociſſima colica, caſtoreo ſibi infenſo oppugnata, in horrendos inſultus epilepticos, crebro diuqve per diem cruciantes, deliqvia, aphoniam cum pulſu celeri debili intermittente, imo ceſſante, ac facie HIPPOCRATICA, & amauroſim incidit uſqve adeo, ut ardentem candelam oculis apertis, conſpicuo vitio carentibus, admotam non ſenſerit. Datis pilulis Wildeganſianis ac ſpecifico Phyſicrato deſiere convulſiones, viſusqve inde pedetentim eſt reverſus.

(*i*) l. c. L. I. fol. m. 159.
(*k*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. append. p. 130.

§. 77.

II. ANTIPARALYTICA *excitantia* nervos debiles, langventes, atonos, iisqve majus conciliantia robur ac vigorem, perinde haud infreqventer morbum profligant. Atqve ea vel maxime efficacia hic reperta sunt, qvæ lentorem humorum simul potenter fundunt, ac proinde stases & obstructiones tollunt, & suppressas ob debilitatem vasorum propellentium, lentoremqve humorum immeabilium evacuationes consvetas restituunt. Talia sunt:

§. 78.

1. *Aconitum.* Qvantæ sint hujus plantulæ in arthriticis spasmis & obstructionibus tollendis vires, post Ill. STÖRCKIUM (*l*) etiam P. A. BOEHMERUS (*m*), H. J. COLLIN (*n*), I. A. P. GESNERUS (*o*) S. A.

(*l*) Lib. de stram. hyosc. & aconit. Cap. 3. & Lib. qvo contin. experim. &c. p. 97. 99. 103. 110. 113. 115. 163. sq. 209. 228. sq. 254. sqq. & Lib. de pulsatill. p. 58. sq.

(*m*) Diss. de usu salut. extr. Aconit. in arthrit.

(*n*) Obs. circa morb. acut. & chron. P. 2. C. 2. cas. 1. 2. 3.

(*o*) Samml. v. Beob. aus d. Arzn. 1 B. No 18 p. 196.

REINHOLD (*p*), KAEMPF (*q*), I. G. SCHENKBECHER (*r*), & F. C. STOELLER (*s*), aliiqve ſunt experti. Unde ſi id genus, aut ei analoga, diathiſis, ſeu inducto vaſorum ophthalmicorum infarctu, ſeu tumore circa nervos opticos elevato, amauroſin creet, non poterit aconitum non eſſe proficuum. Et vero experientia rem confirmat; ſiqvidem, narrante Ill. de STÖRCK (*t*) „ D. GOTTSCHENER Medicus Aulicus extractum Aconiti optimo cum effectu adhibuit in amauroſi, ita qvidem, ut æger viſum iterum recuperaverit „. Præbetur hoc remedium STÖRCKII (*u*) methodo in pulvere,

℞. Extr. Aconiti gr. ij.

Sacch. alb. ℥ij. M. contere diu in marmoreo mortario, ut F. ♁ ſubtiliſſimus, cujus doſis eſt m. & v. ad gr. x. & amplius pro re nata.

(*p*) Diſſ. de Aconit. napello §. 11.

(*q*) Act. Haſſiac. Vol. 1. art. 23. p. 154.

(*r*) Bericht von den heilſ. Wirk. der Peruv. Rinde, &c. p. 159.

(*s*) Beob. u. Erfahr. aus der Heilkunſt p. 146.

(*t*) Lib. qvo contin. experim. &c. Cap. 8. p. 268.

(*u*) Lib. de ſtramon. hyoſc. & aconit. l. c.

§. 79.

2. *Arnicae* flores. Hos multo jam ante, qvam H. J. COLLIN (*x*) obſervationes ſuas edidiſſet, ſumma cum utilitate cum in febribus intermittentibus tollendis in Dania, teſte V. B. AASKOW (*y*), tum in contuſionibus ſanandis, ut ex Annalib. Vratislavienſium (*z*) videre eſt, uſurpatos fuiſſe, neminem, niſi monumentorum Medicorum prorſus ignarum, latere poteſt. Cum autem in contuſis vaſorum atoniam, lentoremqve ſtagnantium humorum arnica emendare, in febribus vero intermittentibus nervoſum etiam ſyſtema a turbis vindicare, qveat: ſatis liqvet, in amauroſi qvoqve, ubi eædem non raro obveniunt indicationes, plurimum ab eadem exſpectari merito poſſe. Et vero captis ab H. J. COLLIN (*a*) hanc in rem experimentis eventus ſpem haud eſt fruſtratus, id qvod ſeqventes commonſtrant hiſtoriæ:

(*x*) l. c. P. 4.

(*y*) Collectan. Havn. med. Vol. 2. No 19. p. 166.

(*z*) Tent. 7. p. 347 ſqq T. 9. p. 254. T. 15. p. 314. ſqq. T. 18. p. 522. T. 19. p. 198. T. 22. p. 581. T. 28. p. 494. T. 29. p. 34. 217. ſq. T. 33. p. 111.

(*a*) l. c. P. 4. C. 3.

A. *Virgini* 30 annor. 17mo anno primos ordinatosqve menses nactæ anno ætatis 22do, ad qvem usqve sana vixit, subito dextrum oculum amaurosis citra manifestam causam invasit, ac 6to post anno lævi qvoqve oculi visus ita minuebatur, ut majora non nisi objecta illo discerneret. Anno abhinc superata febre acuta continua enuresin contraxit. Post varia frustra tentata datur demum arnica:

℞. Flor. arnicæ ʒj. infund. in
▽a ferv. ½ h. vase clauf. Col. ℔. j. adde
Syr. fl. chamom. ℥j M. & intra

diem 4 vel 5 haustibus absumat. Cum octidui usu nil proficeret, datum valentius infusum e flor. ʒij in ▽æ ℔. j factum. Postero inde mox die ambos oculos per intervalla dolores urentes punctorii, lacrimas elicientes, horam subinde durantes, vexarunt; enuresis sensim intra 17 dies prorsus desiit; pupilla dextra, prius immota, nunc admoto lumine contrahi, visusqve oculi sinistri augeri cœpit, donec intra mensem pedetentim utriqve oculo pristinus rediisset. Toto tempore infusi usurpati catharticum qvater est porrectum (*b*).

B. *Juveni* undeviginti annos nato febris acuta continua, lente remediis cedens,

(*b*) Ibidem caf. 1. p. 79.

Octobri menſe die 18va morbi in tertianam verſa eſt, cujus poſt alterum inſultum admodum vires proſternentem ſumpto Cortice non niſi unum adhuc leniſſimum ſuſtinuit; ſed a prima jam invaſione, cum cephalalgia ſæviente, ſimul viſus utriqve oculo ſenſim uſqve adeo minuebatur, ut 17mo inde die mane plena adeſſet amauroſis cum pupillis admodum dilatatis. Binæ uberes catharſes, & latum nuchæ veſicans, fruſtra fuere. Datum ergo infuſum e fl. arnicæ ʒij in ▽æ ℔.j paratum, & poſt 4 dies e fl. ℥ß in ▽æ ℔j; cujus ſub uſu crebris ex intervallis æger breves, at acutiſſimos, dolores a fundo orbitæ ad corneam uſqve celeriter propagatos ſentiebat: 5to poſt die pupillis mobilitas aliqvali cum viſu redibat. Idcirco catharſi bidui inſtituta 3tio die ad infuſum reditum. Mitius jam dolor oculos habuit, viſusqve ac pupillarum mobilitas increvit. Diei 6ti veſpere æger poſt frigus tremoremqve per $\frac{1}{4}$ horæ incaluit, ſeqvente ſub matutinum leni totius corporis ſudore, ſub qvo pupillæ prope naturales evaſere cum viſu exiguorum etiam corporum, oculiqve vix amplius doluere. Pergente leni ſudore fuſcæ toto corpore effloruere petechiæ cum pulſu celeri, molli, debili, anxiaqve ſpiratione. Eapropter præter arnicæ infuſum qvotidie dabatur

Ω vitrioli ʒj in decocti emollient. ℔.j. Die 10° desinit sudor, petechiæ flavescunt dispariture, crura tumescunt, pulsus spiratioqve fit naturalis. Die 14to petechiæ nullæ, oculi plus proficiunt; crura vero genuum tenus admodum oedematosa facta. Hinc posterioris decocti loco datæ qvotidie oxymellis Colchici ℥ij intra 6 dies omne oedema per urinas motas discussere; alvum vero inde adstrictam postero die catharticum datum reseravit. Continuato porro per hebdomadem adhuc arnicæ infuso juvenis sanissimus est dimissus (*c*).

C. *Puellæ* 23 annor. superata febre epidemica petechiali delirium superfuit, & 27ma, a 1ma morbi, die utrumqve oculum obscuravit amaurosis cum pupillis immotis admodumqve diffusis. Die 34ta, cum vesicantia nuchæ verticiqve capitis admota nihil profuerint, cumqve ob vires morbo fractas valentiora vacuantia locum non haberent, datum est infusum e fl. arnicæ ℥ß in ▽æ ℔. j. Unde lenis subinde sudor, die 38va delirium desiit, visusqve ac pupillarum motus ita pedetentim rediit, ut ægra die 43a prorsus

(*c*) Ibidem cas. 2. p. 81.

convaluerit, imperato tamen in occiduum adhuc infusi usu (*d*).

D. *Chirurgus* nosocomii 26 annor. febre continua acuta epidemica prehensus die 7mo delirat, & præter consveta morbi symptomata petechiæ rubræ profunde in cute hærentes aliqvoties emergunt, abeuntqve, nunqvam ex toto emergentes. Die 17mo oborta lenis diarrhœa cum symptomatum omnium levamine duravit ad 19um morbi diem, qvo sponte desiit. Æger a 10mo die Cortice decoctisqve emollientibus acidulatis usus in dies emendabatur. Die 20mo pultacea alvo qvinqvies reddita febris qvievit, ægro sui magis compote. Die 21mo meteorismum abdominis enema mota aliqvoties alvo sopivit. Postero autem die subita ambos oculos invasit amaurosis cum celeri bulborum rotatione, tremore cum palpebrarum tum artuum omnium, continuaqve balbutie & corporis agitatione, pulsu parvo debili inæqvali, minime febrili, inæqvali spiratione; alvus & urina inscienti ægro abibant. Amplis nuchæ femoribusqve admotis vesicantibus præbetur infusi e fl. arnicæ ℥ ß in ▽æ ℔. j. parati omni sesqvihora vasculum, & 4ta qvaqve

(*d*) Ibidem cas. 3. p. 85.

hora datur enema, qvod, cum nil levaret, die 23tia omiſſum eſt. A prandio diei 23tiæ bis monitus urinam reddidit ſaturatam, rubram, copioſum brevi ponentem enæorema, plurimis moleculis tenuis raſuræ auri inſtar refertum. Noctu minus agitatus per brevia intervalla dormivit. Die 24ta crurum agitatio qvievit, minus ſimul trementibus artubus palpebrisqve, minusqve rotatis oculorum bulbis. At pupillæ nil mutatæ, niſi qvod luce admota leviter contraherentur. Æger tamen ſui magis compos, minus balbutiens, obſeqventior, lectum nec alvo nec lotio polluit: urina multa, biliofa, freqvens, ſedimentum citum uberrimum cinereum dimiſit. Sudor ſubinde lenis. Nox inſeqvens bona, ſomno magnam partem transacta. Poſtero die & 6 conſeqventibus urinæ eædem. Tremor omnis, bulborumqve rotatio deſiit: pupillæ arctiores ac mobiles: æger lucem famemqve ſentit. Intra octiduum, qvo lotium copioſum fluxit, priſtinus rediit viſus. Inde in triduum adhuc infuſum e fl. arnicæ ℥iij paratum imperabatur (*e*).

E. *Studioſus* 19 annor. poſt febris ejusdem petechialis diem 21 convaleſcens pau-

(*e*) Ibidem caſ. 4. p. 87.

cis lapsis diebus mane qvodam evigilans cœcus est. Frustra variis per 5 & amplius hebdomades usurpatis tandem præbetur fl. Arnicæ ℥ß in ▽æ ℔. j. infusa. Unde triduo post oborti crebri in oculis dolores lancinantes, perforantes. Post 8 dies pupillæ, ante amplissimæ & ad lumen admotum immobiles, moveri jam, ægerqve lucem a tenebris discernere cœpit, rarioribus jam ac mitioribus factis oculorum doloribus. Infuso interpolatum 6to qvovis vel 8vo die catharticum. Sicqve nondum exacto trimestri æger convaluit (*f*).

F. *Juveni* 20 annor. eadem e febre decumbenti post 14 diem videbatur morbus desiisse; sed gravior paulo post recidiva secuta est, e qva post 20um morbi diem convalescere cœpit, at hebete cum visu, cui emendando analeptica sunt ordinata: cumqve a 5 jam diebus æger teneris carnibus aliisqve eupeptis vesceretur, denuo cœpit febricitare, cum anorexia. Idcirco catharticum & antiphlogistica data. Triduo post præviis doloribus transversim per frontem lancinantibus uterqve oculus perfecta corripitur amaurosi. Post varia necqvidqvam per

(*f*) Ibidem cas. 5. p. 91.

7 dies adhibita, datum tandem infuſum e flor. arnicæ ℥ß in ▽æ ℔ j. Poſtero die oborti dolores crebri, e fundo orbitæ antrorſum vergentes: qvarto poſt die levis jam pupillis rediit motus cum obſcuro viſu, appetituqve valido. Data eupepta, ac præter prius infuſum etiam electuarium e ℥ fl. arnicæ ʒiij. c. mellis q. ſ. diei ſpatio abſumendum. Horum ſub uſu dolores oculi poſt triduum abiere, & viſus poſt 6 dies evaſit inſignis. Miſſo ergo electuario, ſolo tridui uſu infuſi continuato ſanitas priſtino cum viſu revertit (g).

G. *Puella* 17 annor. hac ipſa febre ſuperata dies aliqvot ſubdelira manſit, ac circ. 24to morbi die utriusqve oculi amauroſi correpta eſt, ut lucem a tenebris diſcernere neqviret, ſed mentis ſimul compos evaſit. Cum nec conſveta remedia, nec dein qvatriduo uſurpatum infuſum e fl. arnicæ ℥ß in ▽æ ℔ j. qvidqvam efficerent, demum dato electuario e ℥ fl. arnicæ ʒiij. cum melle poſtero die dolores, qvales præcedens ægrotus percepit, oborti. Die altero & lucem ægra ſenſit, & pupillæ moveri cœptæ. Inde doloribus ſenſim remittentibus, viſuqve

---

(g) Itidem caſ. 6. p. 94.

increſcente puella intra menſem ſanitatem priſtino cum viſu eſt adepta (*b*).

H. *Puellæ* 22 annor. poſt 30 horar. febrem eryſipelas crus dextrum late inſedit, qvod perperam tractatum in phlegmonem & & gangrænam deſiit, qva remota ulcus amplum enatum, hocqve non dum prorſus cicatrice obducto, ſub diuturno licet cum corticis Peruv. tum aliorum antiſepticorum uſu & applicatione, febris petechialis ſupervenit, ex qva ad 17um diem ægra viſa eſt convaleſcere. Sed paucis elapſis diebus poſt levem vertiginem amauroſis oculos invaſit. Poſt 8 dies exhibito cathartico præbetur infuſum e flor. arnicæ ℥ß in ▽æ ℔. j. Hujus ſub uſu qvavis nocte dolores ex intervallis utrumqve pervadebant oculum, maximi in fundis orbitarum, ac ſuperiore oculorum parte, inde verſus aures propagati, ibi ſæviores ſomnum omnem arcebant, uſqve dum interdiu prorſus conqvieviſſent: lacrymæ crebræ utroqve ex oculo manabant. Poſt 4 dies pupillæ moveri cœptæ, ac viſus dextro primum, tum biduo poſt lævo etiam, oculo cum viribus vitæ ſenſim redibat, ſimulqve dorſum digitos ac plantam dextri præſertim

(*b*) Ibidem caſ. 7. p. 96.

pedis tumor pallidus elasticus insedit; ac postmodo nocturni dolores rarius mitiusqve lacessiverunt. Datum catharticum. Biduo post pupillis & motus & amplitudo nativa rediit, cum pristino oculi dextri visu, qvem sinister lacrimosus adhuc nondum prorsus indeptus est. Iterata ergo catharsis. Hebdomade lapsa pes detumescebat, visus utriusqve oculi optimus, vires optimæ; sed oculos noctu bis terve adhuc dolores, leniores tamen, molestabant. Post octiduum desiit cephalalgia; at pedis tumor jam sic satis imminutus post 4 dies reverti cœpit, donec demum apertus saniem primum, tum pus præbuit; qvo tandem consanato innumeræ pustulæ rubræ in crure a malleolis ad superiorem usqve suræ partem effloruerunt: hisqve brevi evanidis puella prorsus convaluit (*i*).

I. *Puella* 23 annor. post infantiæ variolas morbillosqve ultra semestre qvotidie fere convellebatur; postmodo vero vehementi plurium dierum cephalææ, sæpe vexanti, obnoxia evasit, ob qvam bis qvotannis venam secabat, qvo neglecto largam narium patiebatur hæmorrhagiam. Anno ætatis 15to catamenia nacta est, qvæ dein

(*i*) Ibidem cas. 8 p. 98.

qvovis tantum trimeſtri per 5. 6. dies experiebatur. Anno 16to eryſipelas faciem infeſtare cœpit, per ſexennium 3a qvaqve hebdomade circ. reverti ſolitum, qvod frigidæ farinæ ſecales vel pannis fumo aromatico imbutis cedebat. Anno 17mo cum poſt validum tempore calido motum hauſta affatim frigida præſentem menſium fluxum ſubito ſtitiſſet, paulo poſt ſcabiem nacta eſt; ſumptoqve propterea purgante draſtico in plurium dierum hypercatharſin, eaqve ceſſante in aſciten & anaſarca incidit: qvod utrumqve ſumptis per 5 hebdomades qvotidie oxym. Colchici ℥ij. eſt profligatum, & demum roborantibus per 8 hebdomades uſa puella convaluit, reverſis etiam catameniis. Deinceps etiam petechiali febre ſuperata biennium adhuc eryſipelas ei, ut ante, infeſtum erat, qvo deniqve ceſſante cephalæa & crebrior fiebat, & ſævior, adeo ut dolores tandem fierent continui, tempora frontem ac ſuperiora occipitis tenentes. Unde viſus minui cœpit, oculis multum lacrimantibus, lancinantesqve dolores ſentientibus, qveis anxia acceſſit ſpiratio cum crebra cordis palpitatione: his remittentibus mala capitis fiebant graviora, iſtisqve mitigatis denuo anxietas cum palpitatione augebatur. Ab his demum omnibus viſus ita interiit, ut non niſi obſcu-

re lucem a tenebris discernere posset. Isthoc in statu post 7 hebdomades nosocomio receptam, emollientibusqve & aperitivis cum antiphlogisticis utentem die 6to pleuritis acuta cum graviore palpitatione prehendit, a qva methodo antiphlogistica liberatæ cephalæa nihilominus & amaurosis perstitit, oculi admoto subito lumine dolebant, pupillæ interdum arctari parumper, at mox iterum diduci, alias vero nil mutari cernebantur. Præter serum lactis nitratum usa est infuso fl. arnicæ ad ℥ß in ▽æ ℔. j. cujus a primis dosibus omnes canthos, in primis externos, tensivus & urens dolor invasit, alvusqve qvotidie qvater qvinqviesve reddita. Qvarto post die pupillæ arctiores mobilioresqve factæ, dolores lævi temporis, frontis, canthorum desierunt, omnesqve functiones emendatæ, ipso etiam visu redeunte. Pro sero lactis ob molestam subinde tussiculam datum decoctum Saleb cum nitro. Post 6 dies ambo oculi facti naturales, visu insigniter vigente, cephalæa prorsus conqvievit, desiit tussis, cunctæqve functiones erant secundum naturam, & ægra post 9 dies sana discessit (*k*). Binis itaqve modis remedium hoc

(*k*) Ibidem cas. 9. p. 101.

Cl. Vir exhibuit, nempe forma vel infusi vel electuarii:

℞. Flor. Arnicæ ʒ. j. ij. iij. vel ℥ß. inf. in ▽æ ferv. q. s. per ½ h. vase clauso, bulliant dein per ⅛ h. vase clauso. Colat. ℔ j. adde syr. fl. chamom. vel capill. ven. ℥ j. vel q. s. ad gratiam. M. absumatur nycthemeri spatio. Vel.

℞. 🜔 subtiliss. flor. Arnicæ ʒij. iij. Mellis q. s. F. elect. molle intra diem absumendum. Postmodo (*l*) in extracto qvoqve hoc ipsum remedium eodem cum successu exhibuit seqventi in casu:

K. *Puella* 17 annor. semper sana, 15to ætatis anno menses nacta, iisdem ante sesqviannum per 7 menses in carcere caruit, reversosqve deinceps ante bimestre tandem iterum amisit; unde oculorum amaurosi prehensa vix lucem a tenebris dignovit: pupillæ amplæ erant, immotæqve, habitus cachecticus, ac synciput leviter dolebat. Præmissa bidui catharsi per epicrasin, alvo inde vicies & porro mota, datum est extractum flor. Arnicæ ad ʒiij in MRa intra diem absumendum. Triduo post data per diem ejusdem ℥ß. Postero die puella objecta obscure

(*l*) Ibidem P. 5. S. 1. C. 1. append. cas. 5. p. 178.

cer-

cernebat, lancinantes in orbitarum fundo bulbisqve oculorum dolores aderant, pupillæ moveri arctariqve cœptæ. Altero die catamenia erupere, biduoqve parce fluxere. Sexto post die sumpto cathartico alvus copiose mota, vesperiqve pauci rursus menses erumpentes dimidio die fluxerunt. Post triduum integer adfuit visus; remedium tamen aliqvot adhuc diebus continuandum imperabatur. Ex his jam omnibus liqvet 1mo) Omnes ægros cœcitate hac e febre petechiali fuisse mulctatos, præter primam postremamqve puellam, qvarum hæc a suppressis catameniis, illa ab ignota sibi caussa, oculis captæ sunt: proinde in singulis, prima dempta, adfuisse infarctum vasorum a materia lenta viscida immeabili, qvalem febres petechiales biliosæ post se in visceribus abdominis, ac præsertim hepate, nec non in vasis encephali debilitatis, relinqvere solent, vel in qvalem sangvis menstruorum suppressorum degenerare consvevit. 2do) Rediturum visum præsagiisse dolores oculorum ac vicinorum ab remedio excitatos. Remedium hoc etiam a pluribus jam annis variis in morbis & ipsa qvoqve amaurosi solitus est præbere A. G. RICHTERUS (*m*), at in isthac impa-

(*m*) Chirurg. Biblioth. 2 B. 4 St. No 9. p. 83. sq.

ri plane cum ſucceſſu: „ arnicam (inqvit ille), „ qvam tam mirabili & inaudito plane cum „ ſucceſſu adhibuit Cel. COLLIN, ego ſæ- „ piſſime adhibui, aſt ſine ullo emolumen- „ to, qvamvis magna ſatis doſi exhiberem „ illam, illiusqve uſum diu ſatis continua- „ rem. Bis illa iridi mobilitatem, oculo „ autem non ſenſibilitatem reſtituit „ (*n*). Perinde refert J. L. SCHMUCKER (*o*) in Regia Berolinenſi invalidorum domo arnicæ juxta ac pulſatillæ nigric. tentamina ſæpe admodum ſine ullo fructu in amauroſi fuiſſe inſtituta, „ & neſcio (ſubjicit), qvisqvamne „ uſpiam, præterqvam Vindobonæ, ullum „ ab his remediis effectum obſervaverit „? Imo vero! Eodem ipſo anno 1779. qvo SCHMUCKERUS incomparabiles ſuas de amauroſi edidit obſervationes, prodiit ſimul Ill. E. G. BALDINGERI (*p*) obſervatio de arnicæ adverſus amauroſin efficacia, nempe ſutoris uxor ad 58 annos nata, loturæ ſericeæ lineæqve ſupellectilis operam locans, habitus cachectici, ultra 12 annos plicam

(*n*) Obſ. chirurg. l. c. p. 86.

(*o*) l. c. p. 26.

(*p*) Neues Magazin für Aerzte 1 B. 3 St. p. 203. ſqq.

Polonicam (qvam ſtudioſe celabat) capitis in latere antrorſum verſus enatam geſtavit, qvam in primo ſuo exortu non illico obſervatam, exilemqve adhuc, neſcia qvid rei eſſet, cum abſcidiſſet, continuo cephalalgiam, vertiginem, aliaqve ſymptomata experiri cœpit, & ubi plicam interea priſtino illo loco denuo atqve tantopere renatam, ut præ magnitudine infra capitis mitram omnis neqviret abdi (qvippe qvæ 3 circ. digitos craſſa, & ultra ſeſqvi ulnam longa, fuerit), iterum abſcidiſſet, continuo in amauroſim incidit, viſu ita pedetentim deficiente, ut non niſi majora corpora obſcure diſcerneret. Caligo (qvod mirum!), tertium licet plica loco priore ſuccreſcente, augebatur; jamqve nova hæc plica $\frac{5}{4}$ ulnæ longa ac 2 digitos craſſa erat, vehementem ac nauſeoſum, qvalem ſudoribus madentes capilli exhalant, fœtorem ſpargens, capillis velut a craſſa & fuſca gelatina compactis, fine cuſpidato in faſciculum deſinens crinium diremptu facilium, qvos exſudans gelatina ſibi mutuo ſenſim intricando plicam continenter efficiebat longiorem: ſimulqve acrem ſe leucorrhœam pati ægra, cum opem rogaret, qverebatur. Ex diæta ceterisqve adjunctis probabilis erat conjectura, amauroſin a materia lenta ac viſcida liberum fluidi nervei cerebrum inter

oculosqve fluxum impediente proficiſci. Idcirco, præmiſſa catharſi, dedit Cl. Vir, qvæ lentorem illum funderent, nempe pilulas e ſale C.C. millepedib. ſapone, gummi ammon., extr. taraxaci, &c. & his affinia: oculis extrinſecus admota derivantia, puta cucurbitas ſcarificatas, hirudines, iterataqve veſicantia. His vero nil proficientibus, Arnicæ, cui recens colligendæ tempus anni faverat, cujusqve recentis cum ſicca comparatæ vires ſunt = 2 : 3, periculum fecit. Nimirum hauriebat ægra mane ac veſperi infuſum e fl. Arnicæ rec. collector. ʒj. cui tria vaſcula theata fervidæ aqvæ affundebantur. Inde nauſeas primum, vehementes ſangvinis motus, cephalalgiam, anxietates, &c. ſenſit; at brevi poſt facile toleratu evaſit remedium, ut pro una deinceps infuſione flor. recent. ultra ʒjß cum ʒj ſiccatorum ſumere liceret. Manifeſte inde cœcitas imminui ſenſim cernebatur, atqve ab ulteriore hujus remedii uſu tantum oculis profecit, ut negotia ſua rite peragere poſſet: qvo obtento, cum plica inde nullatenus emendaretur, capta arnicæ tædio eidem valedixit. Cumqve aliqvo poſt tempore viſum rurſus obſcurari ſenſiſſet, uſu ejusdem remedii tolerabile ſibi malum effecit. Atqve hunc nobis caſum Gottinga, non Vindobona, ſuppeditavit, ſpes-

qve eſt fore, ut olim aliunde qvoqve commatis ejusdem hiſtoriæ ad nos perveniant. De Pulſatilla autem inferius (*q*) dicetur.

§. 80.

3. *Euphraſia.* Hanc ab omni retro ævo adverſus vitia viſus commendatam fuiſſe, inter omnes conſtat: „ tanta enim, inqvit „ F. HILDANUS (*r*), euphraſiæ in imbe-„ cillitate viſus vis eſt, atqve efficacia, ut „ ejus uſu ſeptuagenarios qvosdam propter „ vigilias & ſtudia plurima amiſſum viſum „ in decrepita iſta ætate recuperaſſe obſer-„ vaverim„. Ideo illam in pane potuqve dabat; in potu recentem jubebat macerari, in pane vero daturus, euphraſiæ in umbra ſiccatæ pollinem cum paſtæ fermento miſcendum ſvaſit, ut cum ea ſic in panem excocta uſurparetur. Perinde J. HOLLERIUS (*s*) „ dum effervescit muſtum (ait), euphra-„ ſia injicitur, vinum repurgatum aſſervatur „ ſingulari remedio. Ejusdem herbæ pul-„ vis ſorbili ovo inſpergitur, aut inde ſal

(*q*) Vide §. 84.
(*r*) Epiſt. 59. §. 2.
(*s*) De morb. intern. Cap. 20.

„ oxydorcicum paratur „. P. FORESTUS (*t*) puellæ decenni obſcuritate viſus laboranti continuum conſervæ Euphraſiæ uſum mire contuliſſe narrat. Magnam hæc ipſa planta partem conſtituit ophthalmicæ trageæ SCRETAE, cujus formulam ſuperius (*u*) videre eſt, atqve eadem tragea textori „ pauper-„ culo debilitate viſus diu afflicto, ſic ut „ nil vitii in oculis appareret, atqve adeo „ guttæ ſerenæ initium adeſſet, viſus itidem „ reſtitutus „ teſte R. LENTILIO (*x*). Multum qvoqve euphraſiæ virtuti tribuit L. HEISTERUS (*y*).

§. 81.

4. *Lignorum decoctum*, utpote valide incidens, attenuans, ac ſtimulans, perinde vaſorum ophthalmicorum infarctum, ab humorum lentore ac debilitate ſolidorum oriundum, viſum eſt interdum ſuſtuliſſe, modo prius plenitudo vaſorum fuerit, qvoad oportet, imminuta. Sic „ a cœcitate ... li-

(*t*) l. c. L. 11. Obſ. 35.
(*u*) Vide §. 60 No 6. d).
(*x*) Miſc. med. pr. P. 1. p. 221.
(*y*) Med. chir. u. anat. Wahrnehm. 1 B. No 134.

„ gni Indici decocto . . . vindicavimus J. A. „ COMITEM, cum aliqvot menſibus parum „ aut nihil videret „ inqvit H. CARDANUS (z). Præſertim vero decoctum hoc proficuum eſſe videtur in ea amauroſi tollenda, qvæ ☿lem ptyaliſmum qvandoqve conſeqvi ſolet, dum videlicet ptyaliſmi tempore humores ubertim ad caput ruentes ophthalmica vaſa juſto magis ampliando, tonumqve eorum labefactando, ſicqve ſtaſes obtinendo, nervos opticos comprimunt. Uſu tunc decocti lignorum vaſa ſtimulantur, ſtagnantia loco moventur, &c. qvemadmodum in R. LENTILII (a) caſu liqvido videre eſt, nempe viro ad 50 annos nato 15 ante annis vulnus a globo in dextram colli partem exploſo, ſedemqve varie mutante, inflictum cum diu non coiret, illèqve nullatenus educi, neqve etiam citra obſtipi capitis periculum exſcindi, poſſet, ſibi demum relictum ſponte coaluit, globo ſenſim ad imum colli nucham verſus ita ſe ſe ſubducente, ut nec ab ægro ſentiri nec digito tangi poſſet. Æger 13 annos nihil inde moleſtiæ tulit. At biennio abhinc cum Monaco domum tendens noctem

(z) Curat. admirand. 20.
(a) l. c. P. 3. p. 602. ſqq.

fœdo in lecto transegiſſet, ex iſto tempore immani cephalæa cum totius corporis pruritu tentari cœpit, noctu in primis, cum lotio admodum tincto, at citra ullam ſitim, pulſumqve febrilem, donec interdiu vel ceſſans vel mitior ſomnum admitteret. Dolor erat pungens, & a vertice in oculos tendens. Inſeqvente A° 1695 ſub initium Februarii cephalæa reverſa, alternis diebus uſqve ad Pentecoſten dire vexabat, donec ſponte iterum deſiiſſet. Durante malo viſus oculo dextro prorſus periit, circa IACOBI tamen feſtum poſtliminio plane reverſus. Inde veſpere diei 1mæ Auguſti homo domum redux in via repente in convulſiones horæ unius incidit, qvæ poſt 20 hebdomades reverſæ nonniſi $\frac{1}{4}$ horæ durarunt, ac 3tio poſt die mane hora 8va repetentes octidui amentiam poſt ſe reliqvere, & qvamvis indies malum emendaretur, tamen poſt 14 dies atrociſſima rurſus ingruit cephalæa cum ſcotomia, amentia, ac plena denuo dextri oculi cœcitate, alternis qvidem, ut ante, diebus repetens, at ea cum vehementia, ut ab occipite in encephalum irruendo oculos inflaret, viresqve proſterneret, delirio continenter fere durante. Urina vinum Tyrolenſe æmulabatur, interdum profunde flava, craſſa, ac jumentoſa. Exactis ita 10 he-

bdomadis, visuqve jam iterum oculo dextro aliqvatenus reverso, cum post varia incassum tentata malum a lue venerea seu e fœdis lecti stragulis (seu forte ex impuro coitu) contracta profectum videretur, ad hydrargyrosin tandem est deventum, eaqve die 3tia Aprilis 1696 administrata. Nimirum qvovis mane dabatur ad magnitudinem castaneæ de seqventi Electuario:

℞. Conf. Rosar. r. ℥jv.
☿ dulc. rite parat. ℈jv. M.

A meridie hora 3tia sumebat gtt. xx TRæ bezoard. in potus consveti cochl. j. Alternis vero diebus infricabatur seqventis ungventi genibus, carpis, ac spinæ dorsi, primum ℥ß, tum j. demum jß:

℞. ☿ viv. purif. ℥j.
Ungv. rosat. ℥iij.
°° lign. Rhod. ʒij. M.

Nuchæ empl. de ranis VIGON. cum ☿io applicatum. Potus ordinarius erat

℞. Rad. Sarsap. ℥iij.
—— Chinæ ℥j.
Sem. Fœnic. ʒij. conc. contus.
coq. in ▽æ font. mens. vj ad

reman. mens. jv. D. U. Die 12ma April. renunciatur: cephalæam prima mox die ab usu electuarii ac TRæ prorsus evanuisse, ptyalismum vero non nisi post 3um litum occe-

piſſe, ac primum leniorem cum leni ſimul diarrhœa materiæ copioſæ olidiſſimæqve, dein vero invaluiſſe eatenus, ut qvovis nycthemero ℔. jv ſputorum alborum, fœtidiſſimorumqve cum integris qvandoqve muci maſſis contentis, rejicerentur: faciem gingivasqve mediocriter intumuiſſe; delirium ſenſim decreviſſe. Contra ea oculos ſub ptyaliſmo, lævum præſertim, amblyopia affici, auresqve diu noctuqve ſuſurro moleſtari. Idcirco die 16ta April. omnibus in & externis remediis ſepoſitis ſolum decoctum ante dictum bibendum imperatum uſqve ad finem ptyaliſmi: tum vero, ut decoctum ſeqvens prioris in locum ad ℔ß qvovis mane calide hauriret in lecto, ad largum ſudorem eliciendum, qvo per 14 dies factitato curæ finem imponeret:

℞. Raſ. lign. Gvajac. ℥jv.
— —— Saſſafr. ℥j.
Cort. lign. Gvajac. ℥ij.
Rad. Sarſap. ℥ij.
—— Chinæ ℥j.
♁ crudi, &
☿ viv. ſimul in pet. lig. ℔ß.
Paſſul. min. ℥ij.
Sem. Fœnic. ℥ß. conc. contus. affunde 🜄æ font. menſ. vj.

Coq. in olla nova, ſuperlutato operculo,

igne digeſtionis ad conſumpt. partis $\frac{1}{2}$ D. Die 27ma April. referebatur ptyaliſmus fini eſſe proximus, eaqve propter ſudori præſcripto aliqvot jam dies vacatum eſſe eo cum ſucceſſu, ut æger & appeteret, & ſic ſatis valeret; at viſum in dies uſqve adeo perire, ut oculo lævo nihil prorſus, dextro vero parum, ac in dies deterius æger videat, nec ſuſurrum aurium remittere. A biduo vero ptyaliſmum non nihil reverti cum faucium dolore ac raucedine inſigni. Verum cum e præſcripto ſudare pergeret æger, omnia ſenſim evanuere, viſu qvoqve in dies acutiore reddito, ſic ut menſe Junio priſtina jam ſanitate gauderet, &c.

§. 82.

5. *Millepedes* ſeu *Aſelli*, qvorum efficaciam in malis oculorum HAENIUS (*b*) eſt expertus, & J. L. SCHMUCKER (*c*) optatiſſimo cum ſucceſſu præbere conſvevit per aliqvot hebdomades vacuo ventriculo mane qvovis ſuccum e 60 ad 80 milleped. cum vini Rhen. ℥ß contuſis expreſſum cum juris vi-

(*b*) Vide §. 46.
(*c*) l. c. p. 18.

tulini calidi, insulsi, non pingvis, vasculis ij. hauriendum.

§. 83.

6. *Oleum Cajeput*, DIPPELII, & his affinia. „ Singularem efficaciam olei Caje-
„ put nuper ... expertus est D. D. TREW
„ (*d*) in ægroto ex sævissima colica & ce-
„ phalalgia subito cœco facto, usu vero in-
„ terno hujus olei felicissime restituto „.
Nempe (*e*) „ juvenis ... 20 circ. annorum ...
„ corripiebatur ... sub finem A. 1731 febri
„ 3na, qvam more vulgi præter ordinem
„ debitum & consilium debitum variis oppu-
„ gnabat medicamentis, tandemqve copio-
„ so electuarii cujusdam, sine dubio Peru-
„ viano cortice referti, usu supprimebat.
„ Debilis adhuc patriam pedibus repetit; sed
„ inclementia aeris pluviosi frigidiqve valde
„ affectus colicæ tormina sentit; qvæ in
„ dies tantum cœperunt augmentum, ut huc
„ ægre perveniens lecto statim affigeretur.

(*d*) Commerc. Norimb. T. 2. A. 1732. hebd. 2. No 3. p. 10.

(*e*) Ibidem T. 7. A. 1737. hebd. 24. §. 3. No 1. p. 187.

„ In confilium vocatus de morbo prægreffo „ ejusqve incongrua medicatione eqvidem „ cogitavi; fed morbi fubfecuti vehemen- „ tia non permittebat, ut ejus rationem „ habere poffem: dolores qvippe ventris „ capitisqve accedentes tantum fæviebant, „ ut mifer altero ftatim die illico omnem „ vifum perderet, nec lucem a tenebris am- „ plius dignofcere poffet. Clyfteribus & „ carminativis vulgo laudatis fruftra adhibi- „ tis tandem ad oleum Cajeput confugio, „ cujus 4 vel 5 guttæ vix tertium cum fru- „ ftulo facchari exhibitæ tam ftupendum e- „ debant effectum, ut non folum vifus ple- „ narie rediret, fed etiam omnium dolorum „ fenfus plane evanefceret. Adhibitis poft- „ ea ♃bus ex abforbentibus, nitro, atqve „ cinnabarii ♂ii compofitis, interpofitisqve „ leniter evacuantibus, valetudo eoufqve „ roborata fuit, ut hunc ufqve in diem pa- „ tiens falvus vegetusqve fuperfit „. F. HOFFMANNI (f) „ puella 9 annor. ca- „ tarrhalibus defluxionibus, achoribus, tu- „ moribusqve glandularum colli per totam „ vexata vitam, naribus aliqvando præter „ morem ficcis exfiftentibus, corripitur ver-

---

(f) l. c. Obf. 3.

„ tigine, & doloribus dorſi ac hypochon-
„ driorum tantis, ut accedente vomitu &
„ cephalalgia lectum petere cogeretur. Poſt
„ aliqvot dies melius paulisper habens libe-
„ ro ſe rurſus exponit aeri, qvi tum erat
„ gelidiſſimus; ſed redux gravi vertigine,
„ tumore vultus, febricula, & purpura, mox
„ iterum retrocedente, afficitur. Haud mul-
„ to poſt gravi mentis commotione agitata
„ incidit in affectum epilepticum, ſub qvo
„ dentes valide commordebat, oculi rige-
„ bant hiantes, ſenſus omnes erant aboliti,
„ & pulſus ferebatur vehemens & inæqva-
„ lis. Elapſa hora ab hoc paroxyſmo ad ſe
„ rediens, prorſus cœca erat, & inter ve-
„ hementes capitis dolores multum bilioſæ
„ ſaburræ vomitu reddebat. Infuſo clyſma-
„ te, atqve datis remediis antiſpaſmodicis
„ præcipitantibus, ac diapnoicis remitte-
„ bant & vomitus & dolores capitis, ſed
„ cœcitas eadem perſiſtebat per 4 dies,
„ qvorum ſingulo ſupra citatus paroxyſmus
„ epilepticus revertebatur. Qvum urgerent
„ inſuper continuæ vigiliæ, & dolores ve-
„ hementer recrudeſcerent, dabantur veſpe-
„ ri aliqvot grana pilularum de cynogloſſa:
„ unde nox qvietior ſecuta; & qvum altero
„ mane ex infuſo theiformi olei Cajeputi
„ tantillum ſumeret, largo per totum cor-

„ pus perfundebatur ſudore, & cum hoc „ ſubito recuperabat viſum. Sed elapſa ho„ ra & redeunte cephalalgia cœcitas plena„ ria recurrebat; & altero demum die re„ mittentibus cunctis doloribus & ſpaſmis „ iterum redibat cum tam felici ſucceſſu, ut „ ægra poſt 16 dies inter continuos ſudo„ res & viſionem & ſanitatem perfectam re„ cuperaret „.

§. 84.

7. *Pulſatilla* nigricans nunc ordine conſideranda venit. Cl. J. de WELL, narrante Ill. A. de STÖRCK (g) „ ſumpſit...plan„ tam totam cum floribus, abjecta tamen „ radice, conſciſſam impoſuit cucurbitæ vi„ treæ, & adfudit 8 partes ▽æ fontanæ, & „ appoſito capitello, adjunctoqve excipu„ lo ad balneum arenæ medietatem abſtra„ xit, hocqve abſtractum aſſervavit ſub no„ mine ▽æ deſtillatæ Pulſat. nigricantis: „ reliqvum adhuc pauliſper decoxit, her„ bam aliqvantulum expreſſit, percolavit, „ & colaturam ad extracti mollioris conſi„ ſtentiam leniſſimo calore fecit evaporari...

(g) Lib. de uſu med. Pulſatillæ nigric. p. 9. ſqq.

„ Confeci ex hoc extracto binos ǯes, pri-
„ mum, qvi leviorem extracti dosim conti-
„ net, nominavi ǯem A, secundum vero
„ ǯem B, qvi duplam extracti dosim recipit.

„ ℞. Extr. Pulsat. nigr. gr. vij.
Sacch. albi ʒj. M. F. ǯ tenuissimus
„ diu terendo in mortario marmoreo.

„ ℞. Extr. Pulsat. nigr. gr. xjv.
Sacch. albi ʒj. M. F. ǯ tenuissimus
„ diu terendo in mortario marmoreo „. Horum ǯum usu Ill. Auctor. amaurosin sexies vidit curatam. Nempe „ puella 14 annor. „ amaurosi laborat in utroqve oculo, & „ præter lumen confusum nil videt, pupillæ sunt dilatatæ, immobiles. Dantur ter „ qvotidie gr. 15 ǯris A: (*h*) unde sensit in „ oculis validos dolores; 14to die jam qvædam videre potuit, & pupillæ erant mobiliores. Spatio binorum fere mensium „ visus integer rediit, pupillæ factæ sunt naturales & optime mobiles. Hæc puella „ primis 3 septimanis ex usu hujus ǯris qvotidie bis terve purgata fuit, nec tamen se „ debilem inde sensit; ceteroqvin de nulla „ re conqverebatur „. Deinde (*i*) „ femina

(*h*) Ibid. Experim. 18. p. 36 sq.
(*i*) Ibid. Experim. 20. p. 38.

39 an-

„ 39 annor. a 14 annis amaurosi laboravit in
„ oculo dextro, & sinister oculus eodem
„ malo afficiebatur a sesqvianno. Misera
„ nil potuit videre, nec diem a nocte dis-
„ cernere, nec sola ambulare. Postqvam
„ multa adhibuisset remedia sine omni effectu,
„ sumpsit tandem ℥em A. Dolores validis-
„ simi dilacerantes, perterebrantes, & lan-
„ cinantes in oculis a principio orti sunt,
„ & cœperunt oculi vehementer plorare.
„ Post 3 septimanas proruperunt menses co-
„ piosi, qvi jam ab aliqvot annis retineban-
„ tur. Post 6 circ. septimanas cœpit lumen
„ clare distingvere, & pupillæ in utroqve
„ oculo fiebant mobiles. Qvinqve nunc
„ menses finiti sunt, qvibus utitur hoc
„ ℥e, & oculo sinistro objecta videt, colo-
„ res distingvit, & sola per plateas ambu-
„ lat, dexter autem oculus male se habet,
„ licet pupilla sit mobilior, & luminis sen-
„ sus penetret; nullus autem color discer-
„ nitur, nec figura objecti. Ulteriori au-
„ tem usu hujus Pulv. speramus hunc qvo-
„ qve oculum bonum futurum, cum jam
„ qvædam in melius mutatio observetur. Æ-
„ gra autem est qvam contentissima, qvo-
„ niam uno oculo videt, & sola ambulare
„ potest. Menstruorum fluxus ipsi omni
„ 3a septimana redit; reliqvæ corporis a-

„ ctiones sunt qvam sanissimæ „. Perinde (*k*) „ femina 33 annor. primis diebus puerperii „ summis in mamma dextra doloribus affi- „ citur, mamma tumet, dura est, rubet. „ Applicatis remediis dolor mammæ cessat, „ rubedo disparet, durities emollitur, sed „ mox vehementissimus dolor occupat au- „ rem utramqve, & altero die pus effluit „ ex utroqve meatu auditorio, & dolor re- „ mittit. Hic puris fluxus durat per 5 dies, „ & tunc sponte sistitur. Triduo post con- „ qveritur ægra de tensione in oculis; di- „ cit se se objecta non rite videre: tandem „ perit totus visus, & oritur amaurosis in „ utroqve oculo. Applicata vesicantia ad „ nucham & post aures, data remedia pur- „ gantia, aliaqve derivantia, solventia, dis- „ cutientia &c. nil levaminis adferunt, & „ malum durat per 7 annos. Nunc sumit „ per 3½ menses Pulv. A, & jam sola am- „ bulat, & incipit objecta etiam minora „ discernere. In principio magnos in ocu- „ lis dolores ex usu hujus remedii passa est. „ Menstruorum fluxus semper bonus & re- „ gularis fuit „. Porro (*l*) „ mulier 43 an-

---

(*k*) Ibid. Experim. 21. p. 40.

(*l*) Ibid. Experim. 23. p. 42.

„ nor. ex partu difficili afficitur amaurosi
„ utriusqve oculi, & jam a binis fere an-
„ nis nil videt. Exhibetur ei ☿ A, qvi in
„ principio ingentes in oculis dolores pro-
„ duxit; spatio autem 7 septimanarum tan-
„ tum boni præstitit, ut ægra jam rite per-
„ agat labores domesticos, & sola possit
„ per plateas incedere „. Alia (*m*) „femina
„ 50 annor. ab aliqvot annis laborat in ocu-
„ lo dextro amaurosi, & in sinistro habet
„ cataractam. Nunc in 3um mensem utitur
„ Pulv. A, & iris in oculo dextro fit mo-
„ bilis, & cataracta jam videtur multo te-
„ nuior, sed ægra nullam adhuc lucem per-
„ cipit „. Deniqve (*n*) „ vir 40 annor. ex
„ morbo acuto gravi admodum visum in
„ utroqve oculo sensim amisit; in dextro
„ orta est amaurosis, & in sinistro glauco-
„ ma. Per aliqvot annos utebatur variis
„ remediis, sed a nullo sensit in oculis le-
„ vamen. Per binos menses nunc sumit
„ Pulv. A, & glaucoma minuitur, iris in
„ oculo amaurotico mobilis fit, & æger
„ candelam vespertino tempore lucentem
„ distingvit „. Hactenus STÖRCK. Ve-

(*m*) Ibid. Experim. 32. p. 48.
(*n*) Ibid. Experim. 33. p. 48.

rum enim vero „ Pulſatillam a Cel. STÖR-
„ CKIO adeo laudatam qvater inertem in-
„ venit „ A. G. RICHTERUS (*o*)? Tan-
tum abeſt, ut fidem Cl. Viri dictis non ha-
beamus, ut multo potius credamus, pulſa-
tillam haud ſecius, ac alia qvævis adver-
ſus amauroſin commendata præſidia ſæpenu-
mero ſine ullo ſucceſſu præberi; id qvod ne
ipſe qvidem Ill. STÖRCKIUS in paulo ante
allato feminæ 50 annor. caſu diſſimulandum
voluit. Interea tamen probe animadverten-
dum eſt, pulſatillam in ſeqviore præſertim
ſexu, ac vel maxime amauroſi a menſium
anomaliis vel proficiſcente vel diuturnitatem
nacta, proficuam eſſe, ut qvæ ſæpius capto
a nobis experimento ſumme emenagoga ſit
obſervata. Motis proinde catameniis (*p*)
multum momenti ad curationem amauroſeos
haud raro obtinetur. Id ipſum ſua in pulſa-
tilla ipſe etiam oculatus obſervator STÖRCK
(*q*) detexerat „ qvibusdam feminis (inqvi-
„ ens) fluxum menſtruum præternaturaliter
„ ſuppreſſum Pulſatilla nigricans iterum ex-
„ citat, & redigit in ordinem „: qvando-

(*o*) l. c. p 86.
(*p*) Vide §. 70.
(*q*) l. c. Coroll. 11. p. 56.

qvidem obſervavit ſub uſu hujus remedii menſes non ſuppreſſos tempore periodi ſolito uberius manaſſe (*r*), aliis vero a pluribus jam annis ſuppreſſos auſpicato reverſos fuiſſe (*s*). Non ubiqve ergo pulſatilla ſuas exſerit vires, ſed ea tantum in amauroſi, cui infarctus humorum lentorum ad ophthalmica vaſa incuneatorum poſt febres, aut catamenia ſuppreſſa, vel alium caſum, originem præbuit; hujusmodi certe in caſibus pulſatilla virtute ſua potenter incidente lentorem, fibrasqve atonas ſtimulante (modo nervis opticis non omne prorſus robur ſit exſtinctum) optimam ſanationis ſpem pollicetur.

§. 85.

8. *Sulphur* ☉ ☿ ii, *Cinnabaris*. „ Qvando „ malum valde eſt inveteratum, ait F. HOFFMANNUS (*t*), & a lymphæ pertinaci in „ vaſis nervos opticos cingentibus ſtagna„ tione ſuſtentatur; præmiſſis iis, qvæ pro„ poſuimus, unica ſpes in validioribus diſ„ cutientibus, iisqve potiſſimum internis,

(*r*) Ibid. Experim. 1. 3. 12. 20.
(*s*) Ibid. Experim. 20. 22.
(*t*) l. c. theſ. therap. §. 5.

„ eſt ſita. Qvo nomine bina præſertim re-
„ media reliqvis palmam præripiunt, qvo-
„ rum unum eſt *Sulphur* ♁ ii pro noſtra me-
„ thodo correctum, alterum *Cinnabaris*. Con-
„ fici ex his poteſt ſeqvens pulvillus:

℞. Cinnab. nativæ pptæ.
Lap. 69.
Succini ppti. aa ℥ij.
Sal. volat. ſuccini
——— C. C. aa gr. x. M. F.

„ Pulv. dividendus in xij partes, qvarum
„ ſingulæ 3 vel 4 Sulph. ♁ ii grana addi
„ poſſunt. Exhibetur pulvillus talis qvavis
„ veſpera; hauritur ſeqventi mane infuſum,
„ qvod ex herba meliſſæ, ſemine fœniculi,
„ & radice Valerianæ conficitur. Interponi
„ etiam debent laxantia, jungi victus tenuis
„ & exſiccans, & ſubjungi balſamica „.

§. 86.

9. *Valerianæ* ſilv. radix ad amauroſin a ſpaſmis, qvos terror, vermes, &c. concitant, oriundam eximiæ prorſus eſt efficaciæ. „ Puero 4 annor. qvi intra 4 dies viſum, „ integrum ante, amiſerat, purgante ant- „ helmintico (abdomine ſcilicet tumido, ſi- „ gnisqve vermium abdominalium ſimul la- „ borabat), qvod magnam lumbricorum co-

„ piam expulit, exhibito, & uſu radicis „ Valerianæ per 8 dies continuato viſum re- „ ſtituit „ A. G. RICHTERUS (*u*). „ Femi- „ na qvædam (narrat idem) 4ta puerperii fe- „ licis hebdomade aſpectu filioli e menſa in „ terram prolabentis, fracturaqve oſſis hu- „ meri affecti, ſubito perterrefacta intra pau- „ cos dies viſum penitus perdidit. Poſt 3 „ hebdomades me adiit, auxilium petens. „ Poſt remedium purgans exhibui ter de die „ ſcrupulum radicis Valerianæ, cujus ope „ intra 8 dies penitus convaluit „ (*x*).

§. 87.

10. *Vinum.* Hujus qvoqve inſignem efficaciam in ſe ipſo olim L. S. GRASSIUS (*y*) eſt expertus. Qvi cum præceps ex eqvo concitato lapſus omnium ſenſuum expers aliqvamdiu exſtitiſſet, ſibi demum redditus oculum dextrum clauſum immobilemqve obſervavit: levata manu palpebra pupilla triplo erat major, objectaqve velut per ſpiſſiſſimam nebulam confuſa apparebant. His ver-

(*u*) l. c. p. 74.
(*x*) Ibidem p. 78.
(*y*) Miſc. nat. cur. dec. 1, ann. 1. obſ. 71.

tigo ſimul ac proclivitas in ſomnum, præſertim ſi clauſo oculo ſano ſolus affectus ad videndum adhibebatur, & dolor crotaphitis dextri, jungebantur. Qvæ tamen univerſa ſenſim deſiere, præter paralyſin palpebræ & amauroſin ad omnia rebellem, uſqve dum poſt 7 circ. hebdomades hauſto primum liberalius vino, ac dein curru vectus, dormitandoqve agitatus, ſomno demum excuſſo palpebræ paralyſin obſervaſſet imminutam, qvæ paucis poſt diebus prorſus demum evanuit, ſuperſtite adhuc oculi immobilitate, cujus pupilla verſus canthum externum erat ſita. Objecta qvæqve apparebant duplicia, ita ut, ſi qvid rite viſu foret dignoſcendum, alter oculus manu claudendus fuerit, alioqvin aut pes aut manus a propoſito ſcopo aberrabat, niſi viſibilia dextrorſum conſtituta eſſent, ut pupilla ſana ſeqveretur immobilem. Tandem tamen paucis poſt hebdomadis iſtud etiam vitium ſenſim abiit, relicta ſolum poſt ſe aliqva pupillæ dextræ amplitudine cum viſu, qvi acutiſſimus ante fuit, obſcuriore, ut ad minutiora objecta, ad nocturnæ præſertim lampadis lumen, uſurpanda conſpicillis opus fuerit; diſſita vero objecta, qvo remotiora, eo promptius perfectiusqve hoc oculo conſpiciebantur, ut ne acutiſſimo qvidem viſui clariora apparerent.

§ 88.

Præter huc uſqve recenſita complura etiam alia ex ampliſſima cardiacorum ſtimulantium claſſe aliis ſe ſe probarunt, ut moſchus & oleum animale DIPPELII (z), &c. & qvæ ſuis in ægris proficua viderunt CHOMEL (*a*), CLAUDERUS (*b*), GOCKELIUS (*c*), PANAROLUS (*d*), RIEDLINUS (*e*), WINCLERUS (*f*), &c.

CAPUT IX.

ROBORANTIA.

§. 89.

ROBORANTIA deniqve ſuperſunt memoranda. Horum in amauroſeos curatione

(z) WARNER a deſcript. on the humain Eye. LIEUTAUD ſynops. univ. prax. med. P. 1 L. 2. S. 2. p. m. 351.
(*a*) Vide §. 36. c).
(*b*) Vide §. 57. No 1.
(*c*) Vide §. 40.
(*d*) Vide §. 39. h).
(*e*) Ibidem b).
(*f*) Vide §. 68.

multiſaria eſt cum neceſſitas tum etiam utilitas. Etenim ubi laxitas vaſorum, præſertim ophthalmicorum, præſto eſt (g), infarctum a lentis in primis humoribus ex facili admittens vel fovens, uſu roborantium erit emendanda. Idem eſt de vera ſolidorum debilitate, ab humorum bonorum jactura aut aliunde profecta. „ Amauroſim ex nimia „ venere, generatam tardiori ſpirituum fluxu vel eorum defectu, aliqvoties cura- „ vit GORTERUS (h) roborantibus inter- „ nis, & naſalibus cephalicis, leniter ſti- „ mulantibus externis, ut major ſpirituum „ fluxus fiat verſus nervos opticos „. Tum etiam roborantium uſum maximopere expoſcit nimia hyſtericarum & hypochondriacorum vi mobiliſſimi ſui ſyſtematis nervoſi ad ſpaſmos, a qveis ſæpenumero amauroſis (i) inducitur, proclivitas. Ac deniqve omnes nervorum morbi amauroſin facile poſt ſe trahentes, v. g. febres intermittentes, epilepſia, paralyſis, colica, &c. uſum horum remediorum exigunt. Ex omni autem roborantium penu ſpectatiſſimæ virtutis dictum

---

(g) Vide §. 27. No 3.

(h) De perſpirat. inſenſ. p. 514. ſq.

(i) Vide §. 27 No 5. & §. 40.

in finem bina præſertim ſe ſe hic remedia commendant, nempe

§. 90.

Cortex Peruvianus & *Mars*. RICHTERUS (*k*) qvidem „ fontes martiales Pyrmontanos, ad qvos confugiunt plurimi ægrotorum, plerumqve nocuiſſe obſervavit„: ſed hæc Cl. Viri dicta a nemine perperam ſunt accipienda; nam obeſſe has aqvas ſæpenumero poſſe in confeſſo eſt, ſi contra, qvam oportet, uſurpentur, v. g. mox initio morbi, infarctu vaſorum non dum ſublato, &c. Legitimum autem martialium in paulo ante memoratis indicationibus uſum haud raro ſpei ægrotorum reſpondere, obſervationes arguunt. v. RIEDLINI (*l*) virgo nubilis deſiderio viri in febrem chloroticam menſiumqve ſuppreſſionem lapſa eſt cum tanta dextri oculi obſcuratione, ut aliqvot dies nihil pene illo videret, maculasqve in eodem pateretur. His ungvento illito diſcuſſis, cœcitas nullis cedebat remediis; donec, poſt præmiſſum martis uſum ac de-

(*k*) l. c. p. 87.
(*l*) Curar. med. millenar. No 852.

mum catharticum, V*æ* S*e* in pede facta reversi paulo post menses oculo dextro visum pristinum reddidere. At neglecto ulteriore usu remediorum paucis post hebdomadis, subsistentibus denuo catameniis, non modo dextro oculo visus, ut ante, periit, sed sinistro qvoqve minui cœpit: promotis vero martialium usu mensibus utriqve oculo videndi facultas est restituta. M. A. WEIKARD (*m*) narrat virum post morbum acutum omnibus artubus per qvam debilitatum, sensuumqve imbecillitatem haud exiguam præ se ferentem visu insuper usqve adeo fuisse destitutum, ut cum uno oculo nil prorsus videret, altero aliqvid tantum lucis persenserit. Qvi tamen tantum ab aqvæ Brückenaviensis usu profecit, ut opificio suo aliqvantisper vacare potuerit. Qanta porro cum utilitate martialia cortici Peruviano juncta similibus in occasionibus præbeantur, docet seqvens A. HALLERI (*n*) casus: „ vir... sexagenarius dudum variis „ ægrimoniis conflictatus, rheumatismo, tu-

---

(*m*) Neuere Nachricht von dem bey Brückenau im Fuldischen gelegenen Gesundbrunnen §. 89. p. 128.

(*n*) Opusc. pathol. Obs. 76. p. 197.

„ moribus artuum, & hydropis indiciis,
„ ſangvine, ut videbatur, diſſoluto, poſt
„ uſum ſeri lactis, qvod vehementer alvum
„ moverat, ſubito oculi dextri uſum amiſit,
„ ut neqve alba neqve rubra videret, ne-
„ qve ullius corporis figuram perciperet,
„ lucis tamen & umbræ ſenſum retineret,
„ & aliqvem perobſcurum ſenſum objecto-
„ rum. Advocatus reperi urinam turbi-
„ dam, ſubviridem, ſeri lactis non diſſimi-
„ lem, pulſum lentiſſimum, digeſtionem ci-
„ borum malam, plurimos flatus, hinc tur-
„ batum ſomnum, oculum, qvalem dixi,
„ ut tamen motus iridis ſupereſſet, rheu-
„ matismum, veſicatorio ſuris admoto cir-
„ cumjectos circulos ſublividos. Acrimo-
„ niam humorum priores Medici accuſabant:
„ inde alvum ducentibus, refrigerantibus,
„ edulcorantibus medicamentis fere uteban-
„ tur. Mihi viſum eſt, radicem morbi eſſe
„ in debilitata ciborum coctione, viqve vi-
„ tali diminuta. Veſicatorium continuo re-
„ jeci, alia ad aures admovi, ne in corpo-
„ re cacochymo cruris ulcera in periculum
„ ducerent. Corticem Peruvianum & mar-
„ tis limaturam præſcripſi, diætam bonam
„ facilisqve coctionis ſvaſi. His ſimpliciſſi-
„ mis remediis paulatim oculus reſtitutus eſt,
„ ut cum ope convexi vitri Vir Ill. legat;

„ ſed etiam vires corporis & coctio ciborum „ ita redierunt, ut dudum non integrior ei „ fuerit valetudo, pulſusqve non paucos „ in qvoqve horæ minuto recuperaret. Rheu- „ matiſmus & ipſe paulatim evanuit, & mens „ ad melancholiam & deſponſionem procli- „ vis ad priorem lætitiam rediit. Notabile „ eſt, diu virum neqve albi coloris neqve „ rubri ſenſum habuiſſe, cum haberet viri- „ dis aut cœrulei „. Inſignis qvoqve effi-caciæ eſt Cortex in debellanda amauroſi poſt febres putridas a debilitate vaſorum oph-thalmicorum infarctum ſuperare haud valen-tium oborta, qvam N. RIGLER (*o*) „ poſt „ morbum putridum debellatum vidit in... „ milite 30 annor. cholerici temperamenti, „ qvi in noſocomio Grodjicenſi morbo hoc „ putrido decubuerat ſine exanthematibus. „ Hic morbi die 21mo diarrhœa perfecte ju- „ dicatus eſt, ita ut 28vo die ablegaretur „ ad reconvaleſcentium cubile: redibant „ ſenſim vires, acceſſit bulimus, cui tamen „ viriliter obſtitit, noctu bene dormiit, al- „ vum qvotidie conſiſtentem pultaceam de- „ poſuit, non febricitabat, ipſeqve bene „ ſe valere dicens exitum ex noſocomio

(*o*) Conſtit. epidem. A. 1775. ſqq. §. 65. p. 117. ſq.

„ poſtulavit. Verum die 34to, a qvo in
„ noſocomio erat, conqveri cœpit de debi-
„ litate ac caligine oculi dextri, de ſenſu
„ telæ araneæ circa oculum obvolitantis, &
„ ante omnia objecta expanſæ. Oculus
„ examini ſubjectus nullum exhibebat vi-
„ tium, pupilla erat naturalis amplitudinis,
„ immobilis, ſanæ ſimilis, bene colorata;
„ die 37mo nihil ſe cum oculo videre la-
„ chrymans conqveritur: nullum denuo vi-
„ tium in oculo deprehenditur; pupilla vi-
„ vidæ luci expoſita ſe ſe non conſtringe-
„ bat... Præmiſſo... purgante antiphlogi-
„ ſtico, vaſis relaxatis robur amiſſum reſti-
„ tuere anniſus eſt. Ea propter interne cor-
„ ticem Peruv. cum rad. Valerian. ſilv. ex-
„ hibuit, pro potu vero aqvam fontanam
„ cum pauxillo vini, externe lintea octies
„ complicata omni horæ $\frac{1}{4}$ renovata fronti
„ & temporibus appoſuit. Sic, qvo magis
„ æger ad ſanitatem rediit, qvoqve plures
„ recuperavit vires, eo magis imminueba-
„ tur amauroſis, ita ut his ſolis uſus reme-
„ diis binos poſt menſes æqve valentem ha-
„ beret hunc oculum ac ſiniſtrum „. Porro
in amblyopia & amauroſi hypochondriaco-
rum hyſtericarumqve a debilitate ſyſtematis
nervei oriunda perinde auſpicato præbetur

cortex Peruvianus. M. I. MARXII (*p*) „li-
„ teratus hypochondriacus conſiſtentis æta-
„ tis, diu noctuqve legens ac ſcribens, cœ-
„ na pleniore ſine exercitio corporis ute-
„ batur. Hic myops redditus vitra conca-
„ va in uſum trahit, ſed de die in diem
„ ſe minus per vitra videre percipit; vera
„ dein cœcitas accedebat. Medicus qvi-
„ dem Væ Sem, purgantia, veſicatoria, o-
„ mnisqve generis revellentia præſcripſit,
„ ſed incaſſum omnia: tandem febri inter-
„ mittente ſuperveniente largiter utebatur
„ cortice Peruviano aliisqve roborantibus.
„ Viſus reſtitutus eſt. Altero anno cœci-
„ tas redibat, qvæ iterum cortice Peruvia-
„ no, roborantibusqve aliis, atqve exerci-
„ tio corporis, tollebatur „. In primis ve-
ro cortex Peruvianus ad febrem intermit-
tentem, cui tempore paroxyſmi amauroſis ſe
jungit, vel qvæ ſub amauroſeos larva deli-
teſcit, profligandam valet. „ Erat, referen-
„ te Ill. A. STÖRCK (*q*), in noſocomio vir,
„ qvi qvotidie hora 4.ta pomeridiana viſum
„ ſubito, abſqve ullo præcedente ſigno aut
„ dolore, amiſit, & perfecta amauroſi affe-

(*p*) Obſ. med. P. 1. p. 115. ſq.
(*q*) Ann. med. 1. p. 75. ſq.

ctus

„ ctus eſt; ceteroqvin ſanus fuit, nec un-
„ qvam pulſum naturali celeriorem habuit:
„ poſt binas horas demum viſus iterum ſubi-
„ to rediit. Poſtqvam igitur per octiduum
„ determinata hora accedere, & abire a-
„ mauroſin obſervavi, tunc omni trihorio
„ ʒj corticis Peruviani exhibui, & hac ra-
„ tione intra 24 horas æger perfecte cura-
„ tus eſt„. Porro BERTRANDI (r) virginem 18 annor. die 23[a] Febr. 1758 cum fluxu menſium ſolito tempore revertente 3[na] ſimul corripuit: catamenia parcius, qvam alias, manarunt, diebusqve apyretis ægra minus recte valebat, paroxyſmorum vehementia ſemper increſcente. Idcirco die 3[tio] paroxyſtico ob cephalalgiam, imminutosqve menſes, Væ S[o] in pede facta, ac poſt noctem qvietam poſtero mane, uti & ejus diei veſpere ob durum adhuc plenumqve pulſum iterata; diæta curatiſſima præſcripta, tenui tantum carnium jure ac decocto humectante leviterqve aperiente conceſſo; porro 3[tia] qvavis hora injectum enema. Frigus 4[tæ] invaſionis 3 horas duravit, calore ſecuto mitiore, qvam qvi 3[tio] in paroxyſmo adfuit. Obrepſit demum ſomnus per $\frac{1}{4}$ horæ, qvo ex-

(r) VANDERMONDE Journ. de Medec. &c. T. 9.

cuſſo ægra ita ſe cœcam animadvertit, ut cum cerei accenſi oculisqve prope admoti calorem ſentiret, lumen nullatenus ſenſerit. Pupilla admodum fuit diffuſa, inſigniter tamen mobilis; pulſus vero ob viſus amiſſi terrorem hyſtericarum more valde contractus, qvi tamen concepta viſus recuperandi ſpe denuo evolutus eſt, febre inde vehementius, qvam unqvam antea, emicante, qvæ ubi 6ta demum veſpertina conqvievit, viſus pedetentim revertebatur. Enemata noctu multum operata ſunt. Mane diei apyreti data binis in aqvæ vaſculis ♀ri emet. gr. jv qvinqvies aut ſexies vomitum cauſarunt, qvo ſopito datæ mannæ ℥ij alvum copioſe ſubduxere, nocte tranqvilla conſecuta. Ab his 5ta invaſio fuit mitior, cum exigua & non diuturna viſus imminutione. Poſtero die cortex Peruv. cum rheo dari cœptus, eo cum ſucceſſu, ut febris 6tæ acceſſionis leviſſima fuerit, virgoqve ejus ſub uſu 6to poſt die domo prodierit. Demum ut ſuperata febre viribusqve refectis imminuti nunc menſes poſtliminio rite prodirent, cortici & rheo aliqvid e limatura ♂ additum, qvo remedio ad proximam uſqve lunarem periodum uſurpato menſes 23tia Martii erupere, virgoqve viribus recuperatis ſana abhinc vixit. Alteriusne indolis fuit amauroſis periodica, ad

corticis Peruv. uſum deterior, cujus „ me-
„ morabile ... exemplum ... RICHTERO
„ (s) occurrit? Vir 50 annor. procerus,
„ obeſus, ſtrenuus potator, vitæ ſedentariæ
„ addictus, alternis diebus oculorum hebe-
„ tudine corripitur. Mane hora 7ma circ.
„ nebula ſenſim ante oculos coit, ſenſim-
„ qve tam craſſa fit, ut omnia objecta invol-
„ vat qvaſi, parumqve æger diſtingvat. Per
„ totum diem noctemqve nebula hæc affli-
„ git, altero mane, dum expergiſcitur æger,
„ abeſt, jamqve per totum diem bene ſatis
„ & diſtincte æger videt. Tertio die mane
„ eadem fere hora eodemqve modo nebula
„ iterum ingruit, idemqve tempus durat,
„ 4to dein die mane evaneſcens. Periodi-
„ co hoc morbo æger, dum me adiit, jam
„ per annum fere laborat, ita tamen, ut
„ increſceret ſenſim morbus adeo, ut jam
„ jam diebus malis penitus fere cœcus eſſet.
„ Nil vitii in oculo detexi, puriſſima erat
„ pupilla, mobilisqve abſente æqve ac præ-
„ ſente nebula. Rigor tamen, obtutus
„ fixus, & difficultas movendi bulbum ocu-
„ li, dum nebula aderat, obſervabatur. Be-
„ ne valebat æger eodem modo qvovis die.

(s) l. c. p. 70.

„ Id vero qvilibet morbi paroxyſmus ſingu-
„ lare habebat, ut increſceret ſenſim, de-
„ creſceretqve ſubinde nebula, donec fini-
„ to paroxyſmo penitus evaneſceret, qvod
„ qvidem aliqvando ſubito factum eſt, ita
„ ut æger prandens e. g. difficulter cibos
„ prehenderet, parumqve videret, ſubito
„ & uno qvaſi momento viſum recuperaret.
„ Salia ſolventia leniterqve laxantia per 14
„ dies ſumenda præſcripſi, qvo qvidem tem-
„ pore morbus ne minimum qvidem muta-
„ tus eſt. Tandem ad corticem Peruvia-
„ num confugiendum eſſe duxi, qvi qvidem
„ adeo pejorem morbum reddidit, ut jam
„ qvivis paroxyſmus 2 dies duraret, 3us
„ tantum qvilibet dies a morbo liber eſſet.
„ Abſtinui itaqve, & oleum Cajeput, ani-
„ male DIPPELII, aliaqve ſimilia tentavi,
„ aſt peſſimo cum effectu; morbus enim lu-
„ culenter pejor inde factus, æger ſoporo-
„ ſus, oblivioſus, ſtupidus evaſit, ut ha-
„ berem, cur apoplexiam metuerem. Ver-
„ bo, qvidqvid tentavi, nil profuit, in-
„ crevit morbus ſenſim, nullusqve dubito
„ fore, ut tandem vera amauroſis oriatur„.
Habent hic Pathologi eximium profecto ca-
ſum, in qvo ſua fatigent ingenia.

SECTIO II.

CHIRURGICA REMEDIA.

CAPUT I.

SANGVINIS MISSIO.

§. 91.

SANGVINIS *missio*, ubi vasorum ophthalmicorum infarctus, vel humorum in encephalo congestio, amaurosin produxit, debite instituta tanti sæpe est effectus, ut citra omnia alia remedia morbum vel prorsus vel certe magna ejus parte tollere sit observata. Sic novit GUERIN (*t*) rusticum, qvolibet vere amaurosin pati solitum, qvam una alterave phlebotomia semper profligabat. Perinde RICHTERI (*u*) pistori secta in pede vena continuo visus aliqvatenus rediit. Ut autem remedium tam efficax rite administretur, operæ pretium erit nonnulla circa illud planius & enucleatius in gratiam tironum pertractare, ut sunt 1mo Indicantia, 2do)

(*t*) l. c. p. 241.
(*u*) Vide §. 68.

Contraindicantia, 3tio) Qvantitas ſangvinis detrahendi, 4to) Selectus vaſorum tundendorum, modusqve ſangvinem educendi.

§. 92.

1. *Indicant* miſſionem ſangvinis omnia ea, qvæ plenitudinem & infarctum vaſorum adeſſe arguunt, & qvæ revellendos eſſe a capite humores ſvadent. Proinde ſi cauſæ, qvæ humores verſus encephalon congerere ſolent, præceſſere, ſi plethoræ adſunt indicia, ſi turgentis humoribus encephali ſigna habentur (ut vertigo, aurium tinnitus, rubor faciei vel oculorum, pulſatio, æſtus, ſopor, inflatio vaſorum, &c.), ſatis liqvet, ſangvini demendo locum eſſe.

§. 93.

2. *Vetant* e contrario pauca admodum remedii hujus uſum, eaqve fere ſunt vel ſubjecta hyſterica aut hypochondriaca, in qveis nullum ferme prius dictorum indicantium reperitur, & qvæ omne evacuationis genus lædere conſvevit, vel cauſæ procatarcticæ prægreſſæ nullatenus miſſionem ſangvinis poſcentes (ut nervus opticus durus, extenuatus, &c. narcotica aſſumpta, ver-

mes, & his affinia), aut plane inde augendæ, ut eſt præſertim defectus humoris boni poſt longos morbos, inediam, vigilias, venerem immoderatam. Verum tamen haud omnis evacuatio humoris ſani amauroſin cauſans miſſioni ſangvinis refragatur, ut qvæ ſæpenumero humorum verſus caput congeſtionem, indeqve amauroſin producere obſervetur, id qvod ipſis ſangvinis miſſionibus præſertim ſolenne eſſe vidimus (*x*): atqve hocce in caſu mittere ſangvinem oportet, qvemadmodum FONTANI (*y*) in ægro utiliter eſt factum. Eodem prorſus modo altera iſtum Væ So a morbo, qvem prior facta cauſarat, liberavit, qvemadmodum Religioſo MAYERI (*z*) a cathartico ☿li occœcato id ipſum remedium denuo datum viſum priſtinum reſtituit.

§. 94.

3. *Selectus* porro *venarum* in amauroſi præprimis ultra, qvam credi poteſt, ab experientia commendatur. Utilis qvippe ob-

---

(*x*) Vide §. 39. a).
(*y*) Ibidem.
(*z*) Vide §. 63.

ſervata eſt phlebotomia aut ſcarificatio ſeqventium præſertim locorum:

a) *Frontis.* Etenim „ ego (inqvit A. „ SPIGELIUS (*a*), nonnunqvam, nec ſi„ne fructu, in ea cœcitatis ſpecie, qvam „ Barbari guttam ſerenam appellant, me„ diam frontis venam pertundo, ex qva „ ſangvinem eo uſqve deduco, donec ſua „ ſponte fluere ceſſaverit„. SPIGELIUM haud dubie imitatus „ Judæus Medicus Bur„ digalæ plures ſanabat ſecta vena frontis, „ & effluxum ſangvinis permittendo, uſqve „ qvo ſponte ſiſteretur„ teſte SAUVAGES (*b*). Phlebotomiæ huic multum tribuit F. HOFFMANNUS (*c*) dicens: „ ſi a ſangvinis „ ſtagnatione ortum ſit malum, uti fit in „ plethoricis florida & rubicunda facie pul„ ſuqve magno præditis, & excretionum „ ſangvinearum retentione laborantibus, ... „ a ſangvinis... miſſione inchoanda mede„ la. Utilis hoc fine eſt Væ So in pede; „ ſed longe utilior inciſio venarum frontis „ aut arteriarum temporalium. Et hoc qvi„ dem præſidium ipſa docuiſſe videtur natu-

---

(*a*) l. c.
(*b*) l. c. No. 4. p. m. 291.
(*c*) l. c.. theſ. therap. §. 3.

„ ra; ſiqvidem exemplis confirmatum habe-
„ mus, cœcos ex vulnere fronti inflicto,
„ & hinc ſeqvuta larga hæmorrhagia, viſum
„ recuperaſſe„ (*d*). Qvorſum forte CNEU-
LINI etiam apud J. SCHENCKIUM (*e*) ob-
ſervatio pertinet: „ ſæpius audivi (ait ille)
„ a D. ANDERNACO, ſe habuiſſe famu-
„ lum Pariſiis cataracta laborantem. Ille
„ cum vehementius in D. OMPHALINUM
„ & STURMIUM ... atqve D. SYMPHA-
„ CINUM ... inveheretur, alter ex illis
„ gladio diſtricto vulnus ei ſuper frontem in-
„ flixit, ex qvo ſtatim viſum recepit... in-
„ tegrum„. Veri autem eſt ſimilius, e tam
cita curatione, hominem non cataracta ſed
amauroſi laboraſſe. Neqve vero qviſqvam
ſe ſe, qvod BONETI (*f*) ruſticus inde vi-
ſum amiſerit, ab adminiſtranda hac phlebo-
tomia abſterreri patiatur; ſecus & ab emeti-
cis, catharticis, ipſaqve brachii phlebotomia
abſtinendum foret, a qveis ſingulis perinde
amauroſis naſci aliqvando eſt obſervata (*g*).

(*d*) Vide §. 110.
(*e*) Obſ. med. L. 1. f. m. 159.
(*f*) Vide §. 39. a).
(*g*) Vide ibidem a) b) c).

b) *Narium.* „ Neqve alienum eſt . . . „ inqvit F. HOFFMANNUS (*h*) , ſi ſup- „ preſſa fuerit narium hæmorrhagia , has in- „ truſo ſtilo pertundere , ut cita & efficax „ fiat ſangvinis ventilatio „. Alluſerit pro- cul dubio iſthic Cl. Auctor ad obſervationem in G. H. VELSCHIO (*i*) repertam in hæc verba: „ virum ex ophthalmia cœcum red- „ ditum curatum vidit ab empyrico SLEGE- „ LIUS Væ Se in ſummis narium radicibus, „ juxta oculi canthum , parvo inſtrumento „ naribus indito , adminiſtrata , & ſangvine „ ad 4 uncias extracto , qvatriduo integro „ faſciis obveſtiendo „. Et vero ſi errhina mucum e naribus uberius prolicientia , qva- tenus proxima ſic deplentur vaſa , in amau- roſi proficua ſunt (*k*) , qvid ni & ipſa vena- rum intra nares recluſio ?

c) *Juguli.* Sectioni venarum jugularium, qvod & parti affectæ ſint vicinæ , & pleno ex iis alveo celeri cum depletione vaſorum ophthalmicorum ſangvis educi qveat , ma- ximopere confidit J. L. SCHMUCKER (*l*).

(*h*) l. c.
(*i*) Obſ. med. epiſagm. 18.
(*k*) Vide §. 101.
(*l*) Vide §. 66. No I.

d) *Brachii.* Qværi hic poſſet, baſilicamne præ cephalica vena tundere ſit præſtabilius? Superius (*m*) allatæ obſervationes legenti dubii qvid injicere poſſent; qvandoqvidem RUMLERI civi, ac viro FONTANI vena cephalica inciſa amauroſin conſcivit, qvam tuſa poſteriori ægro baſilica denuo profligavit. Sed nolim ego e binis tantummodo his caſibus qvidqvam arguere, poſterorumqve attentioni id totum relinqvo. Interea tamen „ apud nos, inqvit P. ROMMELIUS (*n*) communis opinio (non audeo dicere error) viget, a ſectione venæ cephalicæ dictæ, qvæ inter pollicem & indicem manus eſt, viſum diminui, cœcitatemqve induci poſſe, plures etiam jurato affirmantes audivi, poſt miſſionem ſangvinis ex hac vena, viſum illorum maxime imminutum & obtuſiorem redditum eſſe, idqve non ſemel ſe obſervaſſe, ſed toties, qvoties ſcilicet hanc venam incidi curaſſent, accidiſſe „.

e) *Pedis* deniqve phlebotomia perinde haud exigui in amauroſi curanda eſt uſus, tum qvod a capite humores ad remotiſſimas

(*m*) Vide §. 39. a).
(*n*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. obſ. 144.

derivet partes, tum præſertim, qvod catameniis lochiisqve imminutis aut ſuppreſſis, a qveis haud raro morbus hic enaſcitur, revocandis ſit longe efficaciſſima, velut id ſervæ PECHLINI (*o*) ac RIEDLINI (*p*) virginis, BECHERELII qve (*q*) puellæ exempla abunde teſtantur, qveis tertium a F. MAURICEAU (*r*) relatum adjungimus: femina robuſta ac plethorica menſe ante partum convulſiones aliqvoties paſſa, tandem poſt felicem partum, parcius juſto manantibus lochiis, intra 12 horas viſum prorſus amiſit, vehementiqve cephalalgia vexabatur. At ſecta in pede vena viſum altero mox die recuperavit. Poſt 13 inde menſes iterum utero gerenti ter in graviditate, & qvartum in puerperio vena ſuſa convulſiones & amauroſin antevertit, felicemqve partum præſtitit. Ex his ergo patet, non vanum eſſe venarum in amauroſi curanda tundendarum delectum. Præſertim vero danda eſt opera, ut ex illis vel maxime vaſis arte educatur ſangvis, e qvibus ante morbum emitti vel ſponte fluere ſolebat, & morbus ab ipſa hac

(*o*) Vide §. 60 No 4. f).
(*p*) Vide §. 90.
(*q*) Vide §. 96.
(*r*) Obſ. Cent. 5. Obſ. 568.

evacuatione deinde non eveniente occepiſſe videtur. Sic ſi ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis enatus videtur, hæmorrhoidalia vaſa ani aperire convenit. Idem eſt de aliis locis, ſi ad ea acceſſus medentibus patuerit.

§. 95.

4. *Modi* porro & *inſtrumenta*, qveis ad ſangvinem eliciendum iſthic utimur, ſunt in primis

a) *Phlebotomia*, vel ferri loco

b) *Hirudines*. Has ano admoveri, ſi hæmorrhoidibus ſuppreſſis periit viſus, jubent F. HOFFMANNUS (*s*) & SCHMUCKERUS (*t*). Iſtæ vulvæ qvoqve labiis utiliſſime easdem applicari teſtatur ad catamenia ſuppreſſa revocanda: neqve minus in iisdem ad tempora collumqve admotis præſidii in amauroſi curanda eſt expertus; etenim „ morbo a plethora vel inſigni humorum ad „ caput congeſtione oborto neceſſum eſt, in- „ qvit (*u*), phlebotomo ſangvinis ℥ x. xij. „ emittere, ad maſſam ſangvinis toto cor-

(*s*) l. c.
(*t*) l. c. p. 17.
(*u*) Ibidem p. 15.

„ pore minuendam ; qvo facto temporibus „ & collo hirudines 10. 12ve applicari possunt ad stagnantem e minoribus vasis sangvinem eliciendum : qvæ operatio ter, „ qvater, & sæpius, pro re nata iterari „ potest „.

c) *Cucurbitæ scarificatæ.* „ Cucurbitula, „ inqvit L. RIVERIUS (*x*), occipitio cum „ scarificatione admota tanta efficacia hu- „ mores a partibus anterioribus & nervo- „ rum principio detrahit, ut nonnulli post „ illius applicationem qvasi momento visum „ recuperaverint „. Id ipsum iisdem pene verbis J. HOLLERIUS (*y*) habet, ac L. DURETUS (*z*) adjecta confirmat historia : „ ex „ casu... repente qvondam (inqviens) ex- „ cœcata est filia Ill. Cancellarii DE L'HOSPITAL nuper defuncti ; sed subito „ visum recuperavit, simul atqve jussimus „ admoveri cucurbitulam ejus occipiti „. Præsentaneam qvoqve opem a nucha verticeqve capitis scarificatis studiosus HOFFMANNI (*a*) est expertus.

(*x*) Prax. med. L. 2. C. 1.
(*y*) De morb. intern. Cap. 20.
(*z*) Ibidem in scholio p. m. 152.
(*a*) Vide histor. 1.

§. 96.

5. *Quantitas* deniqve ſangvinis tanta detrahenda eſt, ut vaſa corporis majora univerſa inſigniter vacua evadant; qvo fit, ut ſangvis e minoribus vaſis in illa confluens, loca, ubi ſtagnando viſus organum lædebat, deſerat. Et „ ſi ſigna plethoræ adſint (inqvit „ BOERHAAVIUS (*b*), Væ So ad animi „ deliqvium uſqve inſtituenda eſt. Id enim „ deliqvium non oritur, niſi ſangvis ita im- „ minuatur, ut cerebrum a ſangvine nunc „ diſtendi non poſſit, neqve animales ſpiri- „ tus ſufficiente qvantitate ſecernantur: er- „ go neceſſario etiam in oculo vaſa eva- „ cuantur, & fit revulſio cauſæ prementis „ & diſtendentis „. Qvam ſalubre conſilium iſthoc ſit, docemur obſervatione T. SPROEGELII (*c*): „ juvenis literatus 23 „ annor. plures in diæta errores admittens, „ diuturnam aliqvando pedum in aqva geli- „ da refrigerationem perpeſſus, dolore ca- „ pitis corripitur, mox viſum ſentit tenebri- „ coſum & obſcuriorem, paulo poſt vero

---

(*b*) l. c. §. 90.

(*c*) Commerc. Norimb. T. 15. A. 1745. hebd. 43. p. 340.

„ hoc plane orbatur, juncta simul aliqva
„ aphonia. Applicatis statim vesicatoriis,
„ nec non Væ Se, qvam antea nunqvam ex-
„ pertus fuerat, in pede instituta, sectis
„ dein altera die raninis, aphonia qvidem
„ cessat, visus tamen non redit. Ægrotus
„ de omni desperans auxilio, renuente ac
„ inscio Medico, 4 insuper vicibus largas
„ sibi jubet fieri sangvinis missiones ad ani-
„ mi deliqvium usqve durantes; ultima vice
„ incidit in lipothymiam convulsivam, ex
„ qva post bihorium sibi redditus optime ac
„ perfecte visum recuperatum sentit, eo-
„ demqve perfecte, ut & reliqva sanitate
„ incolumis, sine ullo defectu vel incommo-
„ do, utroqve oculo, 18 abhinc annis ela-
„ psis, utitur. Præcipua autem annotatio-
„ ne dignum est, ipsum hunc juvenem bre-
„ vi ante illud tempus, qvo visum perdide-
„ rat, immoderatissimo potu decocti fabarum
„ Caffeæ delectatum fuisse ita, ut per 6.
„ 7ve menses qvotidie 4 ad 6 uncias harum
„ fabarum ustarum, in binis vel 3 aqvæ mo-
„ diis coctarum cum copioso lacte consum-
„ pserit, a tempore autem visus recuperati
„ potum istum, qvem unicam mali causam
„ accusabat, plane abhorruisse, & cum po-
„ tu aqvosiori commutasse „. Ita & BECHE-

RE-

RELII (*d*) puellæ 35 annor. admodum ſangvineæ cum lintea 6ta Maji in fluvio eluenti catamenia fluentia ab aqvæ frigore ſubſtitiſſent ocyus, ſuccedente palpitatione cordis, ſuffocationibus, intolerabili cephalalgia, &c. demumqve etiam convulſionibus, qvæ biduo inde poſt excepit cœcitas abſqve ullo conſpicuo in oculis vitio: facta ter intra biduum larga Væ Se in pede, 10ma Maji catamenia reverſa ſunt, omniaqve ſymptomata intra octiduum ſenſim deceſſere, priſtina ſuccedente ſanitate.

CAPUT II.

ENEMATA.

§. 97.

ENEMATA qvoqve ad amauroſin, e colicis (*e*) præſertim doloribus ortam, ſolvendam valere cum ratio ipſa ſvadet, tum experientia qvoqve confirmat. Nam ſi colicis doloribus primarum viarum ſaburra anſam præbuit, alvo ſimul (ut fieri amat) obſtructa;

(*d*) ROUX l. c. T 43 Ianvier p. 81. ſq.

(*e*) Vide §. 41. b).

clarum eſt, alvum enemate eſſe reſerandam, ut ſaburræ exitus concilietur. Majoris autem efficaciæ his in caſibus enemata eſſe, qvam qvæ ore præbentur cathartica, dudum experientia nos edocuit. Qvo fit, ut alvo ſatis mota & colicus dolor conqvieſcat, & amauroſis vel continuo deſinat, vel cito facileqve aliis deinceps cedat remediis. RONDELETIUS (*f*) vidit puellam repente cœcam factam, cui enema injectum illico viſum reſtituit. Perinde J. HELLWIGII (*g*) „ Prior qvidam in cœnobio Pr. complexionis „ phlegmaticæ, corporis obeſi, vitæ deſi- „ dioſæ, bibaculus, hypochondriorum dolo- „ re ac ventris conſtipatione ſæpius labo- „ rans, inciderat in cœcitatem ſubitaneam, „ ita ut etiam apertis oculis neminem cog- „ noſceret, nec lucem & tenebras diſcer- „ nere poſſet; ſed poſt uſum clyſmatis car- „ minativi atqve cathartici brevi viſum re- „ cuperavit„. Simile qvoqve L. SCHROECKIUS (*h*) „ guttæ ſerenæ exemplum . . . ob- „ ſervavit in . . . viro 30 circ. annos nato, „ . . . qvi cum & antea & in itinere, qvod

(*f*) Meth. cur. C. 58.
(*g*) Obſ. phyſ. med. 33. p. 79.
(*h*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. obſ. 247.

„ ex Palatinatu inferiore in patriam ſuſce-
„ perat, inordinata diæta admodum peccaſ-
„ ſet, in gravia ventris tormina cum perti-
„ naci alvi obſtructione & viſus deperditio-
„ ne incidit, fruſtra a pharmacopola cly-
„ ſteres aliaqve interne & externe adhiben-
„ te medicamenta auxilium ſperans. Cui,
„ cum poſt aliqvot dierum perpeſſa tormen-
„ ta ... alvi in primis ſolutionem anxie ex-
„ petiiſſet, potiunculam ex reſinæ Jalapp.
„ gr. vj. ☿ CORNACH. gr. xij. & infuſ. la-
„ xat. D. MANNAG. ℥j præſcripſit, abdo-
„ miniqve tenſo pariter ungvento emollien-
„ te proſpexit: unde bihorio poſt copioſiſ-
„ ſimam materiæ fœtidiſſimæ excretionem
„ obtinuit; qvam tamen confeſtim lipothy-
„ mia, & aliqvot poſt horis graviſſimus in-
„ ſultus epilepticus, poſt adhibita tamen
„ convenientia remedia brevi ceſſantes, nec
„ poſtea amplius invadentes, exceperunt;
„ cum interim oculi priſtinis tenebris tor-
„ qverentur, nulla tamen extrinſecus labe
„ in iis comparente, niſi qvod pupilla ni-
„ grior & ſolito amplior videretur. Cum
„ vero flatus abdomini moleſti eſſent, alte-
„ ro die enemate iisdem obviam ire, calo-
„ ri gliſcenti reſiſtere, aliisqve remediis
„ morbo proſpicere inſtituit, nec ſine opta-
„ to ſucceſſu, die 3tio veſperi oculis ali-

„ qvali luce redeunte, & die 5to cum inte-
„ gra ſanitate omnimoda etiam viſus reſtitu-
„ tione ſubſecuta „. Haud ſecius D. NE-
BELII (*i*) „ centurio ob intemperantiam fre-
„ qventioribus colicis doloribus obnoxius,
„ cum... in hybernis commoraretur, ſum-
„ mis aliqvando cruciatibus abdominis affi-
„ ciebatur cum pertinaci alvi obſtructione,
„ cui chirurgus caſtrenſis illico draſticum
„ purgans oppoſuit, qvo tamen alvus mini-
„ me ſoluta, qvin potius tormina inſigniter
„ aucta fuerunt; qvare laudanum opiatum
„ ad aliqvot grana ſub veſperam exhibuit,
„ ſicqve dolores paululum mitigavit, donec
„ illi appropinqvante die ſolita vehementia
„ recurrerent... Præſcribo ſtatim enema
„ emolliens & carminativum cum aliqvot
„ olei lini unciis commixtum, qvod ſine
„ ſucceſſu applicatum, & circa veſperam de-
„ nuo admittendum erat; propinato interea
„ per hauſtus calido decocto paſſularum mi-
„ norum, cui folia ſennæ prius infuſa erant.
„ Veſperi accedens audio ægrum omnem
„ amiſiſſe viſum adeo, ut ne qvidem admo-
„ tam candelam cernere poſſet. Adſpicio
„ oculos, & præter ampliorem pupillam ni-

(*i*) Ibidem dec. 3. ann. 3. obſ. 81.

„ hil in illis insoliti deprehendo.... Ope-
„ ram ergo dedi, ut duo adhuc alia enema-
„ ta emollientia, oleis copiose admixtis,
„ pararentur, qvorum unum post alterum
„ adhibitum intra horæ spatium alvum egre-
„ gie subduxit, magna vitiosorum humorum
„ saburra sic feliciter educta, qvo ipso pa-
„ tiens visum sensim recuperavit integrum
„ cum doloris remissione ... Injunxi, ut
„ seqventi die horis matutinis reliqvum in-
„ fusi sennati per haustus assumeret: unde
„ factum, ut iteratis dejectionibus, qvid-
„ qvid restitit excrementorum, omnimode
„ eliminatum fuerit, pristina sanitate sic sub-
„ secuta „. Hinc recte HOFFMANNUS (*k*)
„ nec contemnendi clysteres (ait) paulo effi-
„ caciores, qvorum virtus illustris est, si
„ imi ventris stricturæ concurrant „.

CAPUT III.

BALNEA.

§. 98.

BALNEA hocce in morbo duplicis ge-
neris usurpari solent, videlicet

(*k*) l. c. thes. therap. §. 4.

1. *Calida*, eaqve vel *pediluvia* vel *semicupia*, ope qvorum inferiores corporis partes ita laxantur, ut vasa earum calore fluidi ambientis ampliora reddita majorem humorum copiam in se recipiundo eosdem a capite oculisqve, ubi congesti infarctum caussando cœcitatem induxerunt, derivant, infarctumqve, ac proinde cœcitatis caussam, imminuunt. Idcirco hocce in morbo „ convenire etiam balnea pedum, ut major „ fiat derivatio a capite„ monet H. BOERHAAVIUS (*l*). Præprimis vero hic mineralium aqvarum insessus est, proficuus. „ Gutta serena, inqvit J. D. GOHLIUS (*m*), „ habetur ubiqve pro affectione oculorum „ incurabili; nihilominus bina mihi nota „ sunt exempla hic ad fontem (Freyenwaldensem) per usum aqvarum & insessuum „ visui restitutarum puellarum. Altera... „ fontem accedebat visu penitus destituta, „ nisi qvod serenitatem lucis perciperet: „ præcesserunt graves capitis, præsertim radici frontis incumbentes, dolores ad annuum spatium; inde musculi genarum stupore erant affecti; in cristallino nec ma-

(*l*) l. c.

(*m*) l. c. No 6. p. 27. sqq.

„ cula nec opacitas obſervabatur, ipſa men-
„ tis hebetudo, qvæ conjuncta erat, ali-
„ qvid paralytodes & ad amauroſin perti-
„ nens, ſubeſſe ſubminiſtrabat: viſum tamen
„ ... recuperavit. Altera... puella 11 an-
„ nor. ... utroqve oculo viſu penitus deſti-
„ tuta acceſſit ad fontem... Talis viſus ab-
„ olitio ipſi ante 7 obtigerat ſeptimanas ſi-
„ mul & ſemel in ſchola. Ante tempus ſe-
„ meſtre achoribus cum phthiriaſi affecta cri-
„ nium pati debuit abſciſſionem... Et hinc
„ ... non ... oculi ſaltem, ſed & aures
„ pathematum inevitabilium fuere partici-
„ pes; qvippe lancinationes doloroſæ cum
„ ſuſurris & ſtrepitibus perpetuo in auribus
„ toleratæ, tandem poſt applicationem te-
„ pidam olei lumbr. terreſtr. laurini cum
„ ungv. dialth. remixti rupto abſceſſu ceſſa-
„ runt in manationem aurium, qvæ nullam
„ viſui creavit clarificationem, qvamqvam
„ de cetero evacuantia & lympham corri-
„ gentia non fuerint neglecta. Oculos...
„ offendi ... ex corporis conſenſuali reliqvo
„ habitu nigros, ejusqve iridem luci obver-
„ ſam admodum ampliatam. ... Hæc ipſa
„ puella... intra octiduum, poſt uſum a-
„ qvarum intrinſecum, & inſeſſuum, præ-
„ mittendis laxantibus non omiſſis, veſica-
„ toriis etiam interpoſitis, viſum recupera-

„ vit in ambobus oculis „. Bina qvoqve cœcitatis eodem remedio curatæ exempla memorat J. REYDT (*n*), viri unum, qvi ufu balnei aqvæ piperinæ, oculisqve eadem elutis vifum amiffum recepit; alterum viduæ, qvæ e mœrore ob maritum occifum magna parte vifum auditumqve amiffum aqvis piperinis in aures inftillatis iterum utrumqve recuperavit.

2. *Frigida* porro balnea iis vel maxime falutaria funt, qveis immoderatus ac profufus veneris ufus nervofum fyftema univerfum labefactavit, & corpus exfolvendo vifum qvoqve exftinxit. Qvam in rem luculentum exemplum præbet C. F. BOERNERUS (*o*) de juvene 18 annor. cui poft diu ante toleratum in oculis palpebrisqve dolorem mane qvodam ita omnia circum fe obfcura, velut fi nox effet, videbantur. Errore demum cognito qvid facto opus effet, animi dubius, biduum ita manfit; at oculis interea magis caligantibus accedenteqve capitis dolore medicum chirurgumqve accerfit.

(*n*) Hydrophylac. 1. Th. 10 Cap. p. 106. & 12 Cap. p. 190.

(*o*) Pract. Werk von der Onanie 2 Th. 12 Cap. p. 222. fqq.

Amplum dorſo veſicans admotum, ſecta vena, ac poſtero die catharticum datum, ſevera ſimul imperata diæta. Verum cunctis licet rite obſervatis, veſicantisqve plaga intra 12 dies tam copioſe madente, ut qvotidie aliqvoties deliganda eſſet; tantum tamen abfuit, ut malum remitteret, ut multo potius omnis pene viſus interiret. Comperto demum, ægrum jam inde a 10mo anno onaniæ eſſe deditum, qvæ etiam priſtinum juvenis vigorem pedetentim hucusqve imminuerat, conſilium datum, ut conſanata veſicantis plaga, relictisqve catharticis, æger analepticis ac pediluviis frigidis uteretur, ſæpiusqve per diem linteis aqva frigida imbutis cervicem foveret. His circ. 9 dies factitatis claritas oculis, roburqve juveni reverti cœpit. Tum vero ad analeptica & humectantia etiam roborantia addita, ac præter frigidos illos fotus oculis qvoqve collyrium ex ▽a vegeto-minerali frigida, dorſo vero in dies aliqvoties fruſtum glaciei adhibitum. Intra 6. 8ve hebdomades æger ab his priſtinum recuperavit viſum, pollicitus & ulteriorem frigidorum balneorum cum accurata diæta uſum, & ſceleris in conſvetudinem recepti ſeriam in poſterum evitationem. Similem qvoqve caſum narrat s.

WESZPREMI (*p*), nimirum piſtori 30 annor. toto corpore emaciato a ſexennio ita caligabant oculi, ſine conſpicuo vitio, ut objecta qvaſi per denſiſſimam nebulam cerneret. Crura qvoqve uſqve adeo erant invalida, ut vix ultra horæ minutum, niſi ſuffultus, eodem loco potuerit conſiſtere, qvin continuo omnibus tremeret artubus, & ſcotomia ingrueret. Omnis etiam ſpinalis medullæ tractus qvandoqve turbabatur, maxime dum corpore flexo qvidpiam exſeqvendum erat. Ad hæc & memoria ad ſtupiditatem uſqve defecerat, omniaqve inveteratæ tabis dorſalis indicia adfuerunt. Incaſſum tentatus ptyalismus ☿lis, aliaqve remedia. Tandem ſevero ſub examine cum rubore confeſſus eſt, onaniæ ſe eſſe deditum. Idcirco præter pediluvia, frictiones, & 40 dierum diætam lacteam, aliaqve remedia, per 3 hebdomades alternis diebus hora 8va matutina jejuno ſtomacho balnea frigida imperabantur. Hacqve methodo intra bimeſtre ita vires viſumqve recuperavit, ut ad opificium ſuum rurſus tractandum ſatis ſe valentem ſenſerit.

(*p*) Obſerv. med. 7. apud A. HALLER. diſp. ad morbor. hiſt. & curat. facient. Tom. *6*. No *226*. p. 811.

CAPUT IV.

APOPHLEGMATISMI, ERRHINA.

§. 99.

Posteaqvam humorum in corpore massa universa pro eo, ac par est, varie imminuta est, nimirum institutis sangvinis missionibus, emesi, catharsi, &c. tum vero perqvam proficuum observatum est, muci qvoqve e vasis capitis, affecto loco vicinis, vacuationes suscipere, ut lentior nempe illa massæ humorum pars a vasis loci affecti avertatur, minuaturqve, & non nisi fluidior sangvinis pars ad loca affecta appellat, qvæ stagnantia reddere meabiliora qveat. Binis autem viis muci e capite vacuatio institui solet, videlicet per os ac nares. Remedia itaqve ad id idonea sunt

§. 100.

1. *Apophlegmatismi*, i. e. remedia pituitam e capite per os evocantia (*q*), cujusmodi sunt collutoria, masticatoria, fumo-

(*q*) GALEN. de sanit. tuend. C. 10.

rum ſuctiones, &c. Vidimus enim ſuperius (r) ptyaliſmo ſpontaneo ſolutam fuiſſe amauroſin. Qvantæ autem id genus remedia in amauroſeos curatione efficaciæ interdum ſint, ſeqventes docebunt hiſtoriæ. I. B. LAMZWEERDE (s) civis cujusdam meminit, qvi „ ex diuturno morbo & cephalæa ſubito privatus eſt viſu... utriusqve oculi... ſic ut „ nec ſolem ſplendentem vel candelam ardentem a tenebris diſcernere poſſet. Ab „ hac cœcitate intra octiduum ſeqventibus „ eum liberavimus (inqvit) remediis: præmiſſo clyſtere, & veſicatorio nuchæ applicato, cucupham præſcripſimus ex cephalicis; hunc Pulv. per fiſtulam loco tabaci ſugendum imperavimus:

℞. Herbæ Salviæ
——— Roſmarin.
——— Majoran.
——— Betonic.
——— Lavend. aa. M. ß
Sem. Aniſ. ℥ ij. F. Pul. groſſus.

„ Tribus fiſtulis utebatur qvotidie, poſt „ qvorum uſum hunc Pulv. maſticabat:

℞. Herb. Majoran
——— Serpill.

(r) Vide §. 60. No 5. c).

(s) J. SCULTETI armam. chir. append. P. 2. Obſ. 74.

Flor. Euphrag. aa. M. ß.
Sem. Fœnic. ℨ v.
Gum. Maſtich. elect.
Oliban. Mac. aa ℨjß.
Cinnam. ℨß.
Cardam. ℨj.
Sacch. alb. parum. M.F. ℥ groſſus.

„ Alternis veſperis has deglutiebat pilulas:

℞. MP. Luc. ℈j
—— Aur.
—— Coch. aa ℈ß. F. pil. No xij.

„ Qvibus remediis tam brevi a malo, alias „ tam pertinaci, liberatus eſt „. Eundem in finem ſola interdum fumi Nicotianæ ſuctio ſuffecit. A. W. KELLNERUS (*t*) phthiſicum curandum habuit, cui aliqvot ante annis crebrior narium hæmorrhagia linteis aqva frigida humectatis nuchæ inopinato impoſitis ſuppreſſa continuo cœcitatem utriusqve oculi accerſivit; a qva nullo alio remedio, qvam diligenti uſu fumi Tabaci, intra aliqvot hebdomades liberatum ſe fuiſſe aſſeverabat. Hoc ipſum remedium tanto etiam certiorem habet ſucceſſum, ſi poſt longam ejus fumi uſurpationem repente qvis conſvetudini huic

(*t*) Annal. Vratisl. Tent. 36. A. 1726. April. Cl. 4. art. 20. p. 503. nota (c).

valedicens in amaurosim incidat: qvæ imminutæ utiqve salivæ muciqve oris, a fumo tabaci prius uberius evacuari solitis, vacuationi ob vasorum vicinitatem tribuenda est, & qva per fumi suctionem resumptam denuo provocata spes est fore, ut amaurosis discutiatur. Facit huc observatio J. FRANCI (*u*):
„ miles nostras (refert ille) ob rubedinem
„ & inflammationem oculorum contumacissi-
„ mam & dolorificam me conveniebat; ab
„ olfactu vero tabaco-bibulum esse judicavi:
„ hinc qvot fistulas per diem noctemqve
„ esumet, qværenti mihi, 30 vel 40 since-
„ re respondebat. Eu! dixi, seqventibus
„ diligentissime utere, & sanaberis, modo
„ cessabis ab ejus usu, alias amittes brevi
„ ambos oculos:

℞. ▽æ Consol. reg.
——Euphrag.
——Ros. alb.
——Cyan. aa ℥ß
Vitrioli albi gr. ij.
Camphor. gr. j. M.D. ad Vitrum
„ S. aqva ophthalm. pro eluendis m. & v.
„ oculis.

(*u*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. obs. 236.

℞. Ungv. de ceruss. c. camph. ℥ß.
Sacch. Saturn.
Tutiæ ppt. aa ℈ ß.
Olei nymph. q. s. M. D. ad fict.
„ S. Ungv. ophthalm. refrigerans sub noctem „ imponendum. Bene se se ostendebat; ast „ exactis diebus 4 incidit in plenariam cœ- „ citatem. Vocor! Re altius pensitata sva- „ si, ut suffitu illo pergeret. Qvid fit? „ Horis 12 post, totidemqve fistulis absolu- „ tis, videre iterum cœpit: deinde rite ap- „ plicatis remediis recuperavit sanitatem. „ O miram tabacomaniam!„

§. 101.

2. *Errhina*, qvæ naribus indita uberiorem muci ex iisdem profluxum creant: qvandoqvidem spontaneus id genus muci e naribus uberior proventus amauroticis magnopere profuisse est observatus (*x*). Interea tamen multi ab eorum usu abhorrent, qvod, cum irritantia esse illa oporteat, sternutationem facile excitent, qva infarctus vasorum encephali, proindeqve ipse morbus, augeri posset; qvandoqvidem non dum præsentem

(*x*) Vide §. 60. No. 5. b).

amaurosim induxisse sunt observata (*y*). Idcirco F. HILDANUS (*z*) illa prorsus rejicit. Secus vero de iisdem F. HOFFMANNUS (*a*) sentit, id unum admonens, prius „ ut „ corpus tam a sangvinis & humorum nimia „ mole, qvam ab eorum impuritate, & „ primæ viæ ab omni saburra, liberentur. „ Qvo scopo præmittendæ sunt sangvinis „ missiones, blanda laxantia, & medicami„ na sangvinem diluentia & depurantia... „ Ne scilicet, anteqvam corpus & caput „ justa purgatione levatum fuit, adhibean„ tur; qvoniam alias humorum vehementi„ orem ad caput affluxum causantur. Ve„ rum eadem corpore rite præparato inter „ morbi initia desideratissimam ferunt o„ pem „ dum videlicet universum vasorum systema concutiendo inter sternutandum stagnantes circum organa visus humores loco movent, motosqve ad vicina in naribus colatoria alliciunt. Unde „ illustrem, inqvit „ idem (*b*), discutiendi facultatem possident „ sternutatoria, & cum primis sal volatile

(*y*) Vide §. 42.
(*z*) Obs. med. chir. Cent. 1. Obs. 24.
(*a*) l. c. Cautel. pract. §. 1.
(*b*) Ibidem thes. therap. §. 6.

„ ammo-

„ ammoniaci ſiccum, & cum oleo ſalviæ, „ majoranæ, balſamoqve Peruviano maritatum, naribusqve attractum, vel longe „ adhuc efficacius extractum ligni Gvajaci „ reſiniforme, qvod ab evaporatione decocti ex hoc ligno remanet, & a me inventum eſt, cujus 1 vel 2 grana naribus „ ſuſcepta vehementer cum ſternutamento „ pituitam ex intimis capitis eliciunt „. Horum veritatem confirmat obſervatio J. G. SEGNITZII (c) de fabro ferrario, qvi 3næ vernæ vehementis recidivam fugaturus cum ſub noctem neſcio qvem ☿em inſigni ſumpſiſſet doſi, noctu tanto horrore febrili eſt exagitatus, ut lecto licet cubans in altum jactaretur. Poſtero mane debilitatem viſus qveſtus eſt, qvæ, febre non amplius reverſa, in dies uſqve adeo increvit, ut æger nil amplius diſcernens, ad omnem laborem inhabilis, vix de loco in locum transire valuerit. Cum in oculis nihil vitii conſpici poſſet, data digeſtiva, laxantia, & decoctum ex herb. Betonic. Meliſſ. Euphraſ. ſem. Fœnic. tum etiam ſal qvoddam volat. oleoſum, & aliqvoties ſudorifera, externe vero

(c) BÜCHNER miſcell. phyſ. med. A. 1728. Maji Cl. 4 art 8. p. 1067.

collyrium ex aqv. Euphraſ. Roſar. flor. Cyan. Calcatripp. Borrag. croco metallor. & eſſent. caſtorei, perinde interdum aliqvid ex balſ. vitæ TEICHMEYERI, una cum ♂e ſternutatorio e fl. Lil. convall. Lavend. herb. Majoran. & Beton. id effecere, ut æger non modo recte ambulare ſed etiam utcunqve minutum characterem legere qviverit. Nihil tamen hic errhinum in ſcopum efficacius eſt ☿rio; nam teſte BOERHAAVIO (*d*) „ bono aliqvando... eventu ſanavit morbum „ vehemens ſalivatio, & ☿us naribus at- „ tractus „ cujus ope cataractam qvoqve curatam vidit BOYLE (*e*), qvemqve BOERHAAVIUS (*f*) „ ſeqventi modo... ex- „ hibere conſvevit:

℞. Sacch. Cand. gr. x.
☿ dulc. gr. j. M. exacte pro ♂e
„ ſternutatorio, qvi in 10 doſes dividen- „ dus eſt, & omni mane poſt emunctionem „ muci naribus una doſis hauriatur. Nimius „ impetus, qvi inde excitari poteſt, lacte „ temperatur tepido per nares hauſto „. ☿lia hæc errhina tum vel maxime ſunt pro-

---

(*d*) l. c. §. 109.

(*e*) De utilit. philoſ. experim. Exerc. 5. C. 19. p. m. 346.

(*f*) l. c. §. 138.

ficua in amaurofi folvenda, dum obftructio finuum frontalium & infolita narium ficcitas fimul adeft, feu ut fymptoma, feu ut caufa: cujusmodi bini ægri J. L. SCHMUCKERO (g) obtigere, qvi ut erqvecuratus eft ufu cum internorum remediorum idoneorum, tum in primis ʒis errhini ex æthiope faccharato (i. e. ☿rio vivo cum triplo facch. Canar. in ʒem contrito) cum pauxillo rad. Valerianæ & flor. Lil. convall. Siccitas narium evanuit, nativus mucus renafcebatur, & pro ratione humefcentium narium cœcitas qvoqve abibat, amboqve ægri aliqvo poft tempore iterum rite viderunt. Deniqve non inutilia qvoqve funt errhina cardiaca langventes nervos in exhauftis vel paralyticis excitantia, qvæ GORTERUS (h) in exhauftis a nimia venere cum fructu adhibuit.

(g) l. c. p. 8. fq.
(h) Vide §. 89.

CAPUT V.

TOPICA.

§. 102.

Poſtqvam copia humorum vaſa diſtendentium variis vacuationibus eouſqve eſt imminuta, ut liqvida e minoribus vaſis in majora jam recipi qveant, minoribus vaſis ab ſtaſi humorum infarctis extrinſecus talia TOPICA continenter admovere oportet, qvæ contractilem eorum vim augendo, ſtagnansqve in illis fluidum reſolvendo, iſtud in majores vaſorum ramos repellere (i. e. infarctum vaſorum, & ab iſto preſſionem nervorum opticorum profectam tollere), ſimulqve debilitatis nervis priſtinum reddere tonum qveant. Horum autem topicorum alia ipſis oculis, alia huic vel illi capitis regioni, applicari ſolent: hæc *cephalica*, illa *ophthalmica* audiunt.

§. 103.

1. *Ophthalmica* vero cum innumera ſint, qveis laudem annales medici impertiuntur,

ego non alia, nisi qvæ experientia probavit, hic sum in medium allaturus, eaqve

A. *Simplicia*, ac sæpe euporista, ut est

1. *Fel piscium* qvorumdam, seu e cystide seu hepate elicitum. „Ex jecore cujus„dam piscis, ait P. FORESTUS (*i*), vul„gari lingva a nostris dicti *Aelpuyck*, li„qvor qvidam defluit, experimento certo „obscuritati visus admodum commodus & „utilis. Capitur autem hic piscis in aqvis „Veenlandiæ prope Delphensem urbem. „Est vero hic piscis mollis, & valde limo„sus, subnigriusculus, & aliqvantulum la„tior angvilla, cujus jecur, qvod valde „album est ac pingve, tegulæ alligatur cya„tho subjecto vel vitro in sole, ut ab eo „pingvedo olei instar destillet. Vel jecur „tegulæ filo alligetur, vitro capaci impo„natur, & supra hoc aliud vitrum magis „capax instar galeæ seu capitelli superpona„tur, & soli exponatur: exibit autem li„qvor albus & clarissimus, ad modum olei „puri destillantis, & usui reservetur. Hoc „liqvore cilia tantum inungantur; & lacri„mæ ab oculis exibunt, & is, qvi visum „obscurum tenebrosumqve habet, miraculi

(*i*) l. c. Obs. 35.

„ inſtar illico lucidum & luminoſum recu-
„ perabit. Oportet autem minime hunc
„ liqvorem in oculum ſtillare, verum ſatis
„ eſt, ſi cilia & palpebræ ſuperiores eo in-
„ ungantur; qvo remedio ... mulier ſatis
„ lumine orbata viſum recuperavit, ita ut
„ hoc arcano feliciſſime in aliis multis uſus
„ fuerim „. Mulier dicta e qvinqvenni femoris dolore male tractato 9 fiſtuloſa ulcera maligna in eodem & crure nacta eſt, qvæ inveterata jam cum FORESTUS ſanaſſet, cœcitas oculum unum ſine ullo ejus conſpicuo vitio invaſit, præcedente capitis dolore, a qva fruſtra variis per 4 menſes tentatis demum uſu ante dicti olei eſt liberata (*k*). Perinde J. C. CLAUDINUS (*l*) ad viſum læſum oleum fluviatilis muſtelæ ex jecore methodo FORESTI eductum impenſe commendat. Remedium hoc ſane vaſis inhalantibus reſorptum, & ad infarcta oculi loca delatum, ſtagnantes humores lentos potentiſſime liqvat; qvandoqvidem & ad corneæ maculas (*m*), ſarcoſes (*n*), qvin

(*k*) Ibidem.

(*l*) Empyr. rat. L. 3. S. 2. P. 1. C. 18.

(*m*) TOBIAE C. 11.

(*n*) GALEN. de ſimpl. med. fac. L. 10. C.

ipſam qvoqve cataractam (*o*), diſſipandas efficax eſt viſum.

2. *Oleum empyreumaticum*, e pannis lineis ſuper acie ferreæ ſecuris combuſtis collectum, oculoqve illitum, nigra illa ſpectra oculis obverſantia certo experimento mulierculaeum in Dania diſpellere ait OL. BORRICHIUS (*p*). Leve id omnino videri poſſe remedium non inficior; at memini dicere olim HAENIUM Præceptorem, ad varices hæmorrhoidum dolentiſſimas nihil ſe efficacius fuiſſe expertum oleo ferrato: qvod ſi ita eſt, cur non perinde oleum e pannis lineis accenſis ſuper ſecuri, a qva etiam illud ferro imbui BORRICHIUS arbitratur, ad retinæ varices, a qveis nigra illa ſpectra oriuntur, valeat?

3. *Chelidonii ſuccus.* F. O. GREMBS (*q*) „ novit qvemdam virum incipienti cœcitate „ laborantem, qvi poſt varia adhibita re„ media hoc unicum medicamen præ aliis „ juviſſe, deprædicare præ ſatis non pote„ rat, & eſt ſuccus Chelidoniæ inter duos „ lapides expreſſus, & oculo ter in die in-

(*o*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 2. obſ. 126.
(*p*) Act. med. Hafn. Vol. 5. Obſ. 63.
(*q*) Arb. integr. & ruin. hom. L. 2. C. 1. §. 11. No 18. p. 191.

„ ſtillatus. Aliqvi tale collyrium com-
„ mendant:

℞. Mellis
Succi chelidoniæ aa ℥jv.
—— fœnic. ℥ij
Vini albi ℥j. Coq. in cinerib. adde
Fell. perdicis ʒij „.

4. 🜄 *vapor* S. YVESII (*r*) Eccleſiaſtico cœcitatis reliqvias egregie ſuſtulit.

5. *Lumbricorum liqvor*, e lumbricis vitro & maſſæ panis fermentatæ incluſis, & in clibano per deliqvium ſolutis, trans linteum craſſum colatis, paratus, addito tantillo camphoræ, oculis blandiſſime illitus a M. ETTMÜLLERO (*s*) laudatur.

6. *Sangvis Galli* melle ſubactus num ad amauroſin qvid valeat, contendere nolim. ÆSCULAPII in æde, qvam inſula Tiberina habuit, J. GRUTERO (*t*) teſte ſeqvens tabella reperta eſſe dicitur: „ VALERIO „ APRO militi cœco oraculum reddidit „ Deus, veniret, & acciperet ſangvinem „ ex gallo albo, admiſcens mel, & colly- „ rium conficeret, & 3 diebus uteretur ſu-

(*r*) Vide §. 63.
(*s*) l. c. p. 732.
(*t*) Corp. inſcript. T. 1. p. 71.

„ pra oculos; & vidit, & venit, & gratias „ egit publice Deo „. Sed hæc forte vetuſtatem ſapiunt magis, qvam veritatem.

7. *Aqva frigida* in amauroſi a nigris illis idolis (u) occipiente, ſi mox uſurpetur, haud raro idola dicta vel prorſus diſſipat, vel inſigniter minuit, ulteriusqve impedit augmentum. „ In æſtu ſolis ſummo (de ſe BOERHAAVIUS (x) narrat) ante aliqvot an„ nos mihi eqvitanti per loca arenoſa ſubito „ enaſcitur macula palmæ latitudine in fun„ do oculi. Cogitanti ſuccurrit mihi, me„ dicamentum optimum fore aqvam frigidiſ„ ſimam, qva ſingulis noctibus applicata „ maculam ad grani hordei magnitudinem „ redegi, ita ut nunc vix noceat, vel in„ commodum inferat. Inflammatio ergo „ procul dubio erat in fundo oculi, & ſæpe „ etiam fit in tali caſu; hinc optimum re„ medium eſt, qvod ſubito retropellendo „ omnia vaſa conſtringit, ut aqva frigida. „ ARCHIGENES medicus celeberrimus, qvi „ tempore AUGUSTI floruit, hoc reme„ dium commendavit; & ſiqvidem ſtatim „ non omnino reddatur æqvale vas obſtru-

(u) Vide §. 16. b).
(x) l. c. §. 89.

„ ctum, multum tamen proficimus „. HEISTERUS (*y*) perinde tribus in ægris efficaciam hujus remedii eſt expertus, qvorum unus id genus maculas ab itinere ardente cœlo facto, alter ex aſpectu nivis, tertia mulier a monetarum fulgore oculos crebrius percellente, contraxerunt. Porro „ ſi amauroſim, ait J. L. SCHMUCKERUS (*z*), „ aut cerebri commotio, aut fiſſura, fractu„ ra, depreſſiove cranii, aut extravaſata „ fluida, induxerunt; hiſce priùs percura„ tis viſus plerumqve ſponte deinde rever„ titur; nihilominus utile eſt, aqvam frigi„ dam oculis, roborandi gratia, applicare „. Deniqve A. G. RICHTERUS (*a*) remedium hoc in omni ſangvinis ad caput congeſtione amauroſin creante, modo indicatæ aliæ etiam vacuationes inſtituantur, commendat „ lo„ cum hic in primis habet (inqviens), & „ inſigni cum ſucceſſu a me qvoqve aliqvan„ do adhibitus eſt, uſus aqvæ frigidæ exter„ nus, qvem Cel. BLOCH (*b*) in paralyſi „ aliisqve morbis ex congeſtione humorum

(*y*) l. c. 1 Band. No 121. 400. Vide hiſtor. 3.
(*z*) l. c. p. 18.
(*a*) l. c. p. 76. ſq.
(*b*) l. c. No 6 7. p. 42. ſqq.

„ ad caput ortis, jure adeo extollit. Sple-
„ nia craſſa, aqva frigidiſſima madida in
„ tali caſu oculo temporibus frontiqve ali-
„ qvoties per diem imponi juſſi, & hoc
„ qvidem remedio incipientem amauroſin
„ aliqvoties diſcuſſiſſe mihi videor „. Deniqve etiam

8. *Magnes* artificialis ante 13 abhinc annos ad emendandam viſus imminutionem a mortalibus in uſum vocari cœpit. Bina id genus exempla C. WEBER (*c*) publici juris fecit: nempe (*d*) femina annoſior, acri ſemper viſu pollens, vehementi febre catarrhali cum inſigni capitis dolore & utriusqve oculi obſcuratione correpta eſt. Priore malo citra ulla remedia conqvieſcente poſterius manſit; & qvamvis nullum in oculis vitium eſſet conſpicuum, ægra tamen de continenti eorum dolore admodum ſenſibili qverebatur, lucidiorum objectorum erat impatiens, omniaqve velut intra nigram nubem nimis imperfecte uſurpabat, atqve meras ſibi ſcintillas ex oculis erumpere referebat. Poſt multa incaſſum tentata, demum artificiali ma-

(*c*) Die Wirkung des künſtl. Magnets in einen ſeltenen Augenfehler, 8vo Hannoveræ 1767.
(*d*) Ibidem 3 Geſchichte p. 23. ſq.

gnete oculis crebrius applicato, intra aliqvot hebdomades priſtinum recuperavit viſum. Primis applicationibus dolor in oculis aliqvis eſt perceptus; ſed viſus qvoqve inde continuo clareſcere cœpit, donec prorſus tandem fuiſſet reſtitutus. Cumqve ſemeſtri inde poſt ejusdem mali recidivam ægra pateretur, ipſo hoc ſolo iterum remedio, ſed non niſi poſt trimeſtrem fere uſurpationem, plane convaluit. Perinde (*e*) ſexagenarius temperamenti phlegmatici, crebris catarrhis obnoxius, magnosqve, ac prominentes oculos habens, jam a 20 annis tantam in oculo dextro imbecillitatem obſervavit, nihil ut pene illo videre qviret. Magnetis tandem vires cœpit experiri. Die 1mo magnete ad affectum oculum applicito per $\frac{1}{4}$ horæ nil ſenſit; at paulo poſt ardor occepit, oculus rubuit, lacrimisqve eſt impletus. Altera applicatio tenſionem in palpebris, lacrimasqve in oculo cauſavit. Eadem tertio tentamine acciderunt. Die 2do veſperi applicatus magnes nil ſenſationis induxit; ſed ubi remotus eſt, tenſio palpebrarum uberesqve lacrimæ in oculo, ſucceſſere. Die 3tio prima magnetis applicatio tinnitum in aure

(*e*) Ibidem 4 Geſchichte p. 25. ſqq.

dextra, ac mox deinceps tensionem in mala læva, puncturasqve in sinistro oculo, sed qvæ non erant diuturna, excitavit: sub 2da vero ac 3tia bulbus affectus vehementer movebatur, ac multum aqvæ in utroqve colligebatur oculo. Die 4to in palpebris oculi tensio, & illacrimatio in utroqve oculo; qvod ipsum die 5to cum frigore in ambobus oculis perceptum. Sub meridiem scripturo brevi aliqvo tempore velut rete oculis prætensum videbatur. A meridie rursus admotum magnetem ardor utrumqve oculum invadens, dein tensio in lateris lævi mala ac maxilla deponere coegerunt. Non multo post iteratum tentamen ex utraqve nare aqvæ fluxum elicuit; bulbi magnopere movebantur, & simul somnolentia ingruit. Vesperi sub eodem tentamine formicatio inter utrumqve oculum oborta, moxqve postea lenes puncturæ in lævi oculi cantho ac mala læva perceptæ. Die 6to uterqve oculus rubuit cum ardore ac lacrimatione; eodemqve tempore tensio maxillam ac femur lateris dextri tenuit, ac in maxilla amoto jam magnete aliqvot adhuc minuta superfuit: simul etiam somnolentia cum aliqvot oscitationibus supervenit. Die 7mo ambo oculi valde madebant cum tanto supra dextrum pruritu, ut ad scabendum vehementer coge-

ret. Tenſio lævæ malæ & utriusqve genu admodum ſenſibilis etiam ſepoſito magnete aliqvot minutis duravit. Die 8vo rubor canthum internum oculi dextri inſidens applicato magnete ad medium illius migravit; ambo oculi multum plorarunt; ardor erat lenis; dextrumqve femur iterum tenſionem perpeſſum eſt. Die 9no oculus affectus jam eatenus profecit, ut eodem remotiora objecta æqve rite ac lævo diſcerneret, ac ſclopi malæ appreſſi tuberculum collimatorium, antea oculo non obſervandum, nunc prompte ac diſtincte videret. Interdum etiam æger magnetis loco clavim applicuit, ſed nullam ab illa in ſano oculo ſenſationem, in affecto vero lene tantum frigus & aliqvid aqvæ, eſt expertus. Continuatus itaqve magnetis uſus in dies effectus jam dictos exſerere pergebat, illatis ſæpe ſimul brachiorum crurumqve doloribus cum anxietate, usqve dum oculo affecto viſus rediiſſet priſtinus. Ad hæc D. NOOTNAGEL (*f*) „vim (ait) magneticam non plane inertem in amauroſi tollenda eſſe patet ex obſervatione, qvam „mihi P. R. HELL... benigniſſime communicavit, e qva conſtat, puerum gutta

(*f*) l. c. §. 22 ſub finem.

„ ferena perfectiffima laborantem, cui jam „ efficaciffima remedia fruftra propinata „ erant, intra 3 dies, magnete cervici in- „ tra fcapulas applicato, præter omnium, „ qvi aderant, fpem videndi facultatem re- „ cuperaffe: qvamqvam in aliis, qvi amau- „ rofi perfecta correpti erant, eandem fru- „ ftra tentavit Cel. MESMER „. Sed fu- periore jam feculo remedium hoc ab J. G. VOLCKAMERO (g) in vifu debili tentatum eft. „ Opificis ... (ait ille) conjugi ... „ acies oculorum hebefcere cœpit, oculis „ ipfis in fuo fulgore ... ab omni labe im- „ munibus ... Melioris proinde notæ cala- „ mitam transverfo digito latam in eo, qvo „ ferrum trahit, latere nuchæ alligari, & 2 „ minores facculos ramentis ferri repletos „ binis imponi oculis nocturno præcipue tem- „ pore curavi, fpe radiorum ex magnete ad „ ferrum oculis impofitum directorum talem „ obftructionis caufam fore retroactam. Mul- „ tum fe femina illa adjutam illius lapidis „ ope credidit; cum per multos annos ta- „ men, qvibus fupervixit, debiliore vifu „ fuerit prædita „.

(g) Mifc. nat. cur. dec. 2, ann. 5. fchol. ad obf. 247.

B. *Composita*, ut ▽æ, ♎, ungventa, &c. sic

1. *Aqva* J. HOLLERII (*h*) „ qvam scri-
„ bunt (inqvit ille) restituisse visum cœco
„ 9 annorum:

„ ℞. Succi Apii
—— Fœniculi
—— Verbenæ
—— Chamædryos
—— Pimpinellæ
—— Caryophyllatæ
—— Salviæ
—— Chelidoniæ
—— Rutæ
—— Centinodiæ
—— Morsus gallinæ
Caryophyllorum
Farinæ volatilis aa. ℥j.
Piperis crassiuscule triti
Nucis Mosch.
Ligni Alöes aa. ʒiij. Omnia
„ mergantur in urina pueri incorrupti &
„ sexta parte vini Malvatici, bulliant brevi
„ tempore; tum exprime & percola; repo-
„ ne vase vitreo bene obturato. Hora so-
„ mni singulas guttas singulis oculis instilla„.
Simile qvoqve collyrium H. REUSNERUS

(*h*) l. c. p. m. 145.

ha-

(*i*) habet, qvo decennalem cœcitatem curatam refert.

2. *Aqva ophthalmica* QVERCETANI (*k*):

℞. Croci metall. ℨj. ij. infunde in
▽æ Euphrag. (vel similis) ℥ v. vj.

Miræ esse virtutis contra amblyopiam, amaurosin, ac suffusionem refertur.

3. *Spir. ophthalmicus* SCHMUCKERI (*l*):

℞. Ω Lilior. convall.
Lavend.
Anthos
⊖* l. aa. ℨj.
Bals. vit. HOFFM. ℨß. M.

Manibus affusus oculis aliqvoties per diem, citra eorumdem contactum, admovetur.

4. *Balsama* varia, ciliis palpebrisve illita, ut in KALTSCHMIEDII (*m*) ac SIGELII (*n*) ægris, curationem sæpenumero accelerant.

5. *Ungventum* BRENDELII (*o*), qvo Vratislaviæ femina 14 annos altero oculo cœca visum recepit, qvodqve impense mul-

(*i*) Obs. med. 36. apud. G. H. VELSCH l. c.
(*k*) Pharmac. restit.
(*l*) l. c. p. 18. sq.
(*m*) Vide §. 70.
(*n*) Vide §. 106.
(*o*) Consil. 55.

ti ad amplyopiam cœcitatemqve, teste M. ETTMÜLLERO (*p*), commendant. Paratur:

℞. ♁ Caryophyll.
— Zingiber.
Sal. commun.
Mell. anthosat. aa. ℥ß. M. F. Ungv.

de qvo qvantitate sem. sinapi oculo indatur, qvi inde primo vellicatur, at brevi id desinit, humor ex oculis profluit. Continuatur usus, donec optatus adsit effectus. Simile huic est, qvod a binis in Dania mulierculis feliciter tentatum fuisse refert O. BORRICHIUS (*q*): „ capiunt frustulum electi Zingiberis, derasoqve cortice tamdiu affricant coti (qva acuuntur scalpella), admista portione ▽æ Rosaceæ, donec in fundum vasculi ex attritu crassamentum qvoddam deponatur; hinc leni inclinatione vasis rosacea tenuior effunditur, qvod autem spissius, palpebris clauso oculo mane & vespere allinitur, ibiqve qviete relinqvitur, donec æger agnoscat evidentem in oculo calorem; tum digito inunctum magma abstergitur; & labor idem, qvoties reqvirit necessitas, ingeminatur „.

(*p*) l. c.
(*q*) l. c.

§. 104.

II. *Cephalica* vero ſunt cerata, litus, fotus, &c. ad caput, nucham, tempora, frontemve applicari ſolita. Qvantæ autem hæcce remedia nonnunqvam ſint efficaciæ,, complures teſtantur obſervationes. Sic „ tres „ habuit P. SALMUTHUS (*r*) ſub cura mu„ lieres, qvibus poſt partum viſus interce„ ptus eſt, oculis omnino ſanis exſiſtenti„ bus, qvarum duæ priſtinæ ſanitati reſtitu„ tæ fuerunt per revellentia, derivantia uni„ verſaliter, & localiter vacuantia, veſica„ toria qvoqve ad verticem applicata, & „ tandem *panem calidum e clibano extractum* „ *& dicto vertici admotum* : tertia vero, „ qvod tardius auxilia petiiſſet, fruſtra iis„ dem uſa eſt; niſi forſan poſtea aliis uſur„ patis convaluerit „. Hoc ipſum remedium aromate acuatum & alias profuit, nempe „ mulier nobilis colica paſſione graviter la„ borans viſu per triduum fuit privata; pur„ gato autem corpore, & pane calido ſem. „ fœnic. conſperſo, ▽a roſ. & fœnic. ma„ defacto, cerviciqve impoſito, viſum re„ cepit, & convaluit „ teſte J. F. HILDE-

(*r*) l. c. Cent. 1. Obſ. 75.

sio (s). Ita & M. I. MARXII (t) „ puer
„ procax & vegetus currum plus qvam horam
„ insectatus, domum rediens de visus
„ obscuritate cum dolore intolerabili fere in
„ oculo conqverebatur, atqve visum mox
„ penitus perdebat. Væ Se, regimine antiphlogistico,
„ atqve vesicatoriis frustra
„ præscriptis, solis antirheumaticis, *emplastro
„ stimulante* dein *temporibus applicato*
„ visum recuperavit „. Bina vero hic præ ceteris F. HOFFMANNUS (u) commendat, suum nempe Balsamum vitæ, alterum vero epithema seqvens:

℞. Rad. Angelicæ
—— Imperat.
—— Valerian. aa. ℥ij.
Herb. Chærefol.
—— Arnicæ
Flor. Sambuc.
—— Lavend.
—— Rosar. aa. pug. iij.
Sem. Fœnic.
—— Anethi aa. ʒjß. C. C. F.

Species decoqvendæ in æqvis partibus ▽æ rosar. & sclopetariæ (l'eau d'arquebusade

(s) Apud J. SCHENCK l. c. fol. m. 159.
(t) l. c. p. 116.
(u) l. c. cautel. pract. §. 2. 3.

dictæ). De priore autem „ ex roborantibus „ discutiente simul virtute præditis balsamum „ vitæ meum (inqvit) excellenti contra gut- „ tam serenam pollet efficacia, cum primis „ si ea a decubitu serosi humoris ad nervos „ opticos in subjectis pituitosis ac phlegma- „ ticis originem traxerit: qvo in casu no- „ vi balsamum illud inter initia capiti fron- „ tiqve cum linteis admotum omnino sustu- „ lisse cœcitatem. Eo autem cautius uten- „ dum in corporibus sangvine plenis, ubi „ sangvinis copia & congestio malum indu- „ xit: tum enim temperantia potius atqve „ tam molem humorum imminuentia, qvam „ ejus orgasmum componentia sunt profi- „ cua „. Postea exemplum ipsum ita re- fert (*x*): „ puer 12 annor. ante aliqvot „ jam annos catarrhis, coryzæ, tussi obno- „ xius, ingruente tempestate valde humida „ & aqvilonia corripitur iterum catarrhali „ febre, qvam 9no die acerbus capitis & „ oculorum dolor excipiebat, & tandem „ plenaria seqvebatur cœcitas. In oculis ni- „ hil apparebat vitii, nisi qvod pupilla ad- „ huc se contrahebat, & puer lucem a te- „ nebris distingvere poterat: ceterum vero

(*x*) Ibidem Obs. 5.

„ & appetebat bene, & egerebat rite. Poſt-
„ qvam igitur per integrum ſemeſtre fruſtra
„ uſurpatis varii generis medicaminibus hoc
„ affectu laboravit, & noſtræ curæ traditus
„ fuit, nihil adhibuimus, qvam pilulas no-
„ ſtras balſamicas qvavis ſemel hebdoma-
„ de adſumendas, & externe linteum bal-
„ ſamo vitæ noſtro madidum bis de die fron-
„ ti & temporibus adplicari curavimus: un-
„ de... factum eſt, ut intra paucas hebdo-
„ mades omnem recuperaverit viſum „.

CAPUT VI.

CONCUTIENTIA NERVOS, VASA.

§. 105.

Qvantum ſæpenumero ſola vis mechanica, corpori animali applicata, ad ſtagnantes humores in motum ciendos, langventesqve fibras excitandas valeat, complures id morbi teſtatum faciunt, qvi adhibita illa vel prorſus percurantur, vel certe curationis initium, a nullo alio remedio exſpectandum, faciunt, qvæ poſtmodo ulterioribus remediis uſurpatis facile abſolvitur. Haud enim deſunt exempla ſurditatis ex ictu capitis vel

duro ligonis exercitio, aphoniæ ex vectione in rheda, atrophiæ fustigatione, ascitis lapsu in abdomen, &c. sanatorum. Qvid igitur mirum est, amaurosin qvoqve ab ejusmodi vi mechanica seu fortuito seu studio applicata interdum fuisse profligatam? Et vero apud J. MEEK'REN (y) exstat historia viri, qvi ,, gutta serena jam per aliqvot annos laboraverat; ad hujus curam varia usurpata fuerant medicamenta, at sine ullo successu. Obambulanti aliqvo tempore occurrebat bajulus aliqvis ebrius, trabem humeris gestans, hic incerto gradu procedens trabe hac caput cœci hominis percutiebat adeo, ut in humum prociderit. Surgens ex cerebri commotione visum restitutum animadvertit ,,. Atqve hinc conjici potest, qvid ab arte factis id genus concussionibus nervorum vasorumqve commodi in amaurosi curanda sit exspectandum. Sunt autem tres fere modi ad id instituendum, nempe

§. 106.

I. ELECTRICITAS, cujus efficacia in plurimis aliis nervorum affectionibus curan-

(y) Obs. med. chir. Cap. 30. p. 131.

dis in vulgus jam nota eſt, & cui plurimum alii, alii nihil fere, tribuendum voluerunt. Non omnes utiqve amauroſes hoc remedio ſanantur, imo multæ non ſanantur; A. G. RICHTERUS (z) utiqve „ electricitatem, jactatum illud contra pertinaciſſimos morbos „ remedium, iterum iterumqve adhibuit, & „ ne ſemel qvidem tantillum boni effectus „ præſtitiſſe obſervavit „. J. L. SCHMUCKER (a) eandem, probatiſſimis licet methodis adhibitam, numeroſis in caſibus citra ullam prorſus utilitatem inſtituit. Nihil etiam commodi ex illa retulerunt cum HAENII (b) æger, tum alius apud J. SAUNDERS (c) 15 annis amauroticus, cui ter qvaterqve incaſſum electricitas fuit adminiſtrata. Perinde „ in duo„ bus ægris, inqvit C. LINNAEUS (d) „ fruſtra ſcintillas ex oculorum viciniis edu„ ctas fuiſſe, fruſtra qvoqve commotionem „ adhibitam vidimus electricam, ut vix ali-

(z) l. c. p. 86.
(a) l. c. p. 25.
(b) Vide §. 46.
(c) Med. Comment. von Edinburgh 3 Th. 4 St. 2 Abſchn. 8. Fall. p. 437.
(d) Confectaria electr. med. Reſp. P. ZETZELL apud HALLER. diſp. ad morb. hiſt. & cur. facient. Tom. 1. No 4. p. 59.

„ qvid hoc in morbo de electricitate spera-
„ re liceat „. Hæc ut ut sint „ nihilo ta-
„ men minus negari, inqvit SCHMUCKER
„ (*e*), neqvit, amaurosin electricitate fuisse
„ sanatam: forsitan qvædam tantum illius
„ species est, qvæ ut propius determinetur,
„ magnopere foret optandum „. Mihi sane historias morbi hujus undiqve conqvirenti, plurimæ occurrere observationes amauroseos electricitate aut prorsus aut aliqvatenus saltem sublatæ, qvas hic Lectori ex ordine promam, ut ex iis suo ipse judicio electricitatis hocce in morbo pretium metiatur. C. F. SIGEL (*f*) „ vir 36 annor. (ait)
„ temperamenti sangvineo-cholerici, alias
„ firmæ valetudinis & robusti corporis, per
„ paucos modo dies rheumatico brachii sini-
„ stri dolore vexabatur. Dolorem, cum le-
„ vis esset, non tanti momenti esse existi-
„ mavit, qvin nundinas oppiduli haud pro-
„ cul . . . distantis . . . freqventare posset.
„ Iter itaqve aggressus est, tempestate licet
„ qvam maxime turbida nivaliqve ac vento
„ vehementissimo per omnem viam versus
„ faciem ipsius sæviente. Vix vero dimi-

(*e*) l. c.

(*f*) Nov. act. nat. cur. Tom. 6. Obs. 13.

„ dium viæ ſtadium attigit, cum ipſi caput „ gravari, oculorum acies, qva antea gaudebat, diminui, ſenſim obnubilari, tandemqve omnis viſus prorſus evaneſcere „ inciperet. Miſerrimus cœcus neqvicqvam „ vel ſolis vel flammæ luminis percipiens, „ nunc redux factus ... auxilium ... implorabat. ... (Medicus) igitur ad primas repurgandas vias ante omnia emeticum ex „ rad. ipecac. ℈j. ♀ emet. gr. j. poſtea veſicatorium magnum nuchæ applicandum, „ & ♂em laxantem e rad. Jalappæ, reſina „ ejusdem, & ☿rio dulci paratum, ſvaſit; „ ſingula vero in irritum effectum: etenim „ capitis gravativus dolor, denſiſſimaqve „ caligo, continuarunt. Væ Ses itaqve in „ brachio & in fronte, nec non Pulv. leniter laxantes e conchis citratis, ♀ Vitriol. „ & Pulv. rad. Jalappæ 4 diebus ſumendos „ præcepit; deinde pilulas de ſuccino CRATON. reſina Jalappæ & ☿rio dulci auctas, „ una cum infuſo theiformi ex rad. ſaponariæ, ſarſaparillæ, fœniculi, herba ſalviæ, „ roſmarini, ſem. fœniculi, ac eſſentia ex „ eſſent. ſuccini alcaliſata, TRa ♂ii acri, „ Ωu ⊖* aniſato compoſita per 2 ſeptimanas „ præſcripſit uſurpandas. Veſicatorium inſuper & brachio imponebatur, ſcarificationes in brachiis & tergo inſtituebantur,

„ Pulv. errhinus ex helleboro albo naribus
„ admittebatur. Sed incassum omnia ...
„ Ego ... oculos ejus aspiciens pupillas se-
„ renas, fulgidas, nimis vero dilatatas, iri-
„ disqve circulum maxime attenuatum a-
„ nimadverti. Vesicatoriorum stigmata erant
„ sanata, cœcitas vero summa, dolor capi-
„ tis noctesqve insomnes hucusqve conti-
„ nuaverunt, neqve aliud oculis esse obje-
„ ctum, qvam densissimum alborem parietis
„ instar dealbati cœcus asseverabat. Igitur
„ præsentibus Physico aliisqve testibus cœ-
„ cum per horæ $\frac{1}{4}$ placentæ ceræ satis am-
„ plæ insistere, catenamqve electricam ma-
„ nu tenere jussi, & ego per hujus tempo-
„ ris spatium continue, mox digiti mox fer-
„ reæ clavis acumine, scintillos e fronte
„ palpebrisqve superioribus ejus clausis eli-
„ cui. His peractis, sellæ ut insideret, ca-
„ tenulamqve electricam arctissime manu te-
„ neret, monui. Qvo facto ad methodum
„ MUSCHENBROECKIANAM eum con-
„ cutere cœpi. Apparatus erat 1mo Glo-
„ bus vitreus 10 pollic. in diametro; 2do
„ Rota lignea, qva cum agitabatur globus;
„ 3tio Tubus ex lamina ferrea stanno obdu-
„ ctus 4 pedes longus. 4to Catenula lagenam
„ vitream aqva repletam ambiens, cujus ex-
„ tremitati globulus metallicus affixus erat.

„ 5to Baculus ferreus a tubo in aqvam lage-
„ næ dependens. 6to Lagena patinæ stanneæ
„ aqva repletæ imposita. Frictio globi vo-
„ la nuda, non pulvinari, facta est. Glo-
„ bulus catenulæ affixus fili sericei ope,
„ qvod ei alligatum erat, fronti, præsertim
„ vero regioni nervum ophthalmicum con-
„ denti ac palpebris superioribus ipsis eqvi-
„ dem clausis admovebatur, hoc saltim dis-
„ crimine, qvod prior frontis pars fortissi-
„ mis concuteretur electricis ictibus, poste-
„ rior vero palpebrarum iisdem levissimis
„ feriretur. Utriusqve generis ictuum æger
„ prima vice ultra 20 expertus est. Effe-
„ ctus erat plane nullus. Nox insomnis,
„ caputqve gravatum, ut antea. Secunda
„ electrisatio eodem modo peracta somnum
„ per aliqvot horas conciliabat: 3tia somnum
„ non promovebat, sed rheumaticum bra-
„ chii dolorem resuscitabat: 4ta dolorem
„ brachii augebat: 5ta electrisatione vix per-
„ acta cœcus candelæ flammam, obscure li-
„ cet, primo iterum videbat; somnus per
„ aliqvot horas tranqvillus erat: 6ta 7ma 8va
„ præter auctum brachii dolorem nullam ex-
„ hibebant mutationem: 9am apostema ru-
„ bens ad metacarpum sinistrum secutum est,
„ causa forsan proxima doloris brachii: 10ma
„ capitis gravitatem sustulit. Visus huc us-

„ qve cohibitus interdiu noctuqve præter „ candelæ flammam nil ſentiens nunc meli- „ orem induit ſtatum , ut mane ſeqventi „ qvævis objecta per nebulam qvaſi denſam „ obſervaret æger. Eodem die apoſtema „ ruptum pus emiſit. Ab 11ma uſqve ad „ 18am electriſationem nebula denſa, qvæ „ hucuſqve oculis obverſabatur , poſt ſin- „ gulas electriſationes extenuari, viſus ma- „ gis clareſcere cœpit ; objectorum vero „ menſuram veram , licet clarius videre „ nunc contenderet, plane ignorabat, nec „ cavum a pleno , plenum ab eminente, „ ne dum colores vere diſcernere poterat. „ Conditio viſus hæc plane ſingularis inci- „ tabat me , ut attentius iterum intuerer „ oculorum conſtitutionem. Obſervavi pu- „ pillas plus juſto adhuc majores, ac ali- „ qvam qvidem, ſed vix conſpicuam mobi- „ litatem earumdem... Igitur balſamum ſe- „ qvens qvid valeat, continuatis electriſa- „ tionibus , periclitari mecum conſtitui. „ Balſamum, qvod ex olei nuciſtæ expreſſi „ ʒij, olei cajeput, anthos, lavendulæ, „ ſuccini albi aa gtt. 5 compoſitum erat, „ mane & ante cubitum piſi magnitudine „ palpebris ſuperioribus clauſis illini jube- „ bam. Effectus voto reſpondebat; electri- „ ſationes enim porro vicies iteratas, bal-

„ famiqve ufum 14 diebus continuatum con„ ftrictio pupillarum naturalis feqvebatur, „ vifusqve in priftinum redibat ftatum, per „ 16 nunc annos, ac in hunc ufqve diem „ minime mutatum „. Hocce in primo cafu liqvet, electricitatis ope, poft vacuationes præmiffas, ftagnantes circa nervos opticos humores ita fuiffe loco motos, ut ad brachium, unde frigoris vi ad caput compulfi fuerant, denuo remearent, vifumqve etfi non ex toto, tantopere tamen fuiffe reftitutum, ut balfami demum applicatione reddito vafis nervisqve tono priftinus recuperaretur. Eodem fere cum fucceffu electricitatem adhibuit W. HEY (g) pluribus amauroticis: horum prima (h) erat matrona mediæ ætatis, qvæ poft cruentam fyncipitis contufionem brevi facileqve fanatam cœpit fentire, qvafi fangvis e loco ante vulnerato intra cranium deorfum ftillaret, qvod tamdiu duravit, qvoad ufqve poft 6 fere hebdomades a vulnere accepto oborta amblyopia intra 4 dies in perfectam adoleviffet amaurofin, qvo facto fenfatio illa ftillicidii

---

(g) Med. Bemerk. u. Unterf. von Aerzt. in London 6 B. No 1.

(h) Ibidem 1 Fall.

desiit. Inducta vulneri cicatrice haud prius capite doluit, qvam invadente cœcitate, qvæ leni cum dolore recta supra orbitas sæviente occepit. Altero amblyopiæ die sangvinis ℥viij e brachio detractæ, totidemqve die 4to demptis vesicans inter scapulas admotum, ac nervina exhibita. Die 10mo inspecta pupilla ampla est reperta. Hoc in statu bis qvotidie super sella vitreis prædita pedibus locatæ ex oculis partibusqve bulbos ambientibus, præsertim qva rami qvinti paris supra infraqve orbitam decurrunt, electricæ scintillæ eliciebantur circ. per $\frac{1}{2}$ horam. Postea ictus æqvali tempore ad partes affectas appliciti, qvi subinde ab uno tempore transversim per caput ad alterum determinabantur, præprimis vero a foraminibus supra & infra orbitalibus versus occiput. Qvotidie simul sub noctem dabatur bolus:

℞. Calomel. pp.
Camphor. aa. gr. iij.
Conserv. Cynosb. q. s.

Unde semper alvus bis terve mota. Sed cum inde die 14to molimina ptyalismi orta essent, misso ☿rio cathartica data ptyalismum brevi repressere. Primis 3 hebdomadis qvotidie clauso curru foras vehebatur. Post aliqvot a cœpta curatione dies visus redibat, ut lapsa hebdomade homines jam in conclavi

præſentes numeraret: poſt 6. 7. hebdomades epiſtolam legit, nondumqve finito trimeſtri priſtinum recepit viſum. Sub initium hujus revertentis lucem non niſi ab obliqve incidentibus in pupillam radiis percipiebat, qvo tempore omnia ei apparebant cœrulea; univerſimqve objecta ad latera ſita jam diſcernebat, anteqvam ea, qvæ recta ex adverſo ſita erant, videre poſſet. Alter (*i*) puer erat novennis, cui ſine manifeſta cauſa viſus ſenſim uſqve adeo hebeſcebat, ut legere neqviret; initiales tamen literas unciales, notosqve ſibi homines viciniſſimos clara in luce diſcernebat adhuc. Poſt bimeſtre eadem ipſi medela adhibebatur, data nempe qvotidie camph. gr. ij. cum Calom. gr. j. uſqve dum ptyaliſmus occepit, ſimulqve ad electricam machinam eſt admotus. Prima inde mox hebdomade viſus emendabatur, & poſt 14 hebdomades ſanus diſceſſit, ea utriuſqve oculi acie pollens, ut uno æqve ac altero oculo minutiſſimum typum legeret citra ullum diſcrimen. Tertius (*k*) fuit ſutor 27 annor. robuſtus, qvi cum obortum Novembri menſe nuchæ & occipitis

(*i*) Ibidem 2. Fall. p. 4.

(*k*) Ibidem 3. Fall. p. 6.

dolo-

dolorem posito inter scapulas vesicante vix profligasset, minui continenter visum sensit, usqve dum amauroticus evasisset, ut nempe ne maximi qvidem typi literas, nec familiares suos, nisi e solo vestium colore, discerneret, neqve objecta e directo sita æqve rite ac lateralia videret: sine duce tamen adhuc incedere potuit. Anno inseqvente die 26ta Martii, præmissis ob levem adnatæ inflammationem hirudinibus ad tempora, eadem illi medela fieri cœpta: bolus ante somnum semper sumendus constabat e Calomel. gr. ij. & opii gr. ß. cujus usus mox suspendebatur, ut primum vel gingivæ vel caput inflabatur. Interdum dabatur catharticum, & 2da (Aprilis?) cœpit bis qvotidie sumere Cort. Peruv. ℈j. continuato simul ☿li bolo, donec 6ta Junii multum emendatus discessit. Per annum pene electricitatem expertus initio nil inde profecit; postea tamen sensim emendabatur, donec oculo lævo pristinus rediisset visus: dexter autem, qvi principio morbi maxime fuit affectus, non nisi mediocriter profecit, ac post relictum nosocomium iterum sensim amauroticus evasit; lævi tamen oculi visus tanto evasit acrior, ut & labori suo homo vacare, & minutissimum typum legere qviverit, eo solo superstite vitio, qvod a vehementi labore vel

multo potu identidem parumper minui obſervaverit. Porro (*l*) vir 34 annor. boni habitus, menſe Februario peregre profectus, inter deambulandum ſub dio ſubito percepit dolorem recta ſupra ſupercilia cum inſigni memoriæ læſione, tantaqve diminutione viſus, ut objecta proxima non niſi obſcure, remotiora vero nullatenus diſcerneret. Amicum cominus adſtantem accedere volens ita ab eo aberravit, ut in ſepes impegerit: qvapropter aliena opera ad amici domum perductus, attracto ibi naribus ſacchari Ωu, comeſtoqve pauco ſinapi, non modo levamen in ſyncipite momento ſenſit, ſed viſus qvoqve ejus eatenus inde eſt emendatus, ut iter ſuum proſeqvi poſſet; ſed ob labefactatam memoriam re infecta domum redire coactus eſt. Dolor ſyncipitis non ultra 1 diem durans, poſt ſe ingratam in eo loco dierum aliqvot ſenſationem reliqvit. In itinere uſum Ωus ſacchari ſæpius iteravit, ſed non eodem amplius, ac prima vice, cum ſucceſſu. Die morbi 4to domum reverſum Væ So, cathartica, veſicans inter ſcapulas, aliaqve exhibita nihil levarunt. In oculis inſpectis præter pupillas admodum dilatatas nil vitii

(*l*) Ibidem 7 Fall. p. 19. ſqq.

viſebatur. Oculo dextro æger cum difficultate legebat, ſiniſtro horologium agnovit, non item indices ejus numerosqve diſcrevit: viſioqve hæc optima erat, objecto parumper deorſum ab axe pupillæ verſus internum latus locato; e directo enim poſitum minus diſtincte cernebat, extrorſum vero ab axe ſitum nullatenus. Omnia clara objecta maculam obſcuram habere ipſi videbantur. Altera vice perfuſus electricitate jam multo melius vidit, ſpatioqve menſis fere prorſus convaluit; continuavit nihilominus 10 adhuc menſes electricitatis uſum, ſicqve priſtinum recepit viſum, cum qvo paribus incrementis redibat memoriæ vigor, qvi tamen non ante trimeſtre ex toto eſt recuperatus. Primis curationis 14 diebus ſumpſit 8 bolos, ſingulos e Calomel. gr. iij & Camph. gr. jv. ſed electricitati eodem hoc tempore non poterat qvotidie, uti poſtea, ob negotia vacare. Haud ſecius (*m*) puella 13 annos nata a 5 aut 6 menſibus dolorem ſyncipitis, præſertim vero in tempore dextro & ſupra dextrum oculum, qveſta ſimul intra hoc tempus viſum imminui ſenſit: ſex vero hebdomadis ante receptionem in noſocomi-

(*m*) Ibidem 5 Fall. p. 9.

um ab aqvæ in urna geſtatione incidit in colli ac nuchæ dolorem & rigiditatem in latere ſiniſtro ſecundum trapezii muſculi longitudinem, dum vel minimum convertere caput conabatur. Rigiditas hæc a voluntaria muſculorum contractione, ad caput firmiter tenendum immobile, & a dolore ex motu tuendum, orta videbatur: cum autem vis horum muſculorum ſola non ſufficeret ad firmum ita tenendum caput, cogebatur illud ægra manu una occipiti altera mento ſubdita ſuſtentare, ſicqve ſibi ambulationem effecit tolerabilem, ac jacens utcunqve commode habebat. Verum colli dolor hebetudoqve viſus adeo celeriter increvere, ut A. 1770 die 7mo Septembr. in curam noſocomii receptæ oculus dexter perfecta jam laboraret amauroſi, cum pupilla ad omne ſubitum clarumqve lumen prorſus immobili, ac ſine ullo lucis ſenſu: in oculo ſiniſtro levis mobilitas pupillæ ſuperfuit, illoqve colores vividiſſimos diſcernebat, ac objecta debite ſita, obſcure licet, videbat. Ceterum adfuit appetentia, ſomnus, &c. Hocce ergo in ſtatu præbebatur bolus:

℞. Calomel. gr. j.
Camph. gr. iij.
Conſ. q. ſ. S. qvoties citra ptyaliſmum fieri poteſt; ſimulqve collum qvoti-

die bis terve ungvento volatili perfricabatur, & ad electrisandum sæpissime illi accedendum erat, qvod plerumqve ter per hebdomadam factum. Sub prima electrisatione, postqvam fere per ¼ horæ scintillæ, citra omnem adhuc ictum illatum, sunt elicitæ, jam oculi dextri pupilla fiebat mobilis, & ægra lucem eodem percipiebat; ac intra paucas hebdomadas omnia symptomata admodum sunt imminuta, ut ægra jam incedere potuerit, qvin occipiti manum subderet, mentum tamen adhuc manu semper firmiter tenendum fuit vel pollice eidem appresso vel complicato strophio supposito. Interea aere in Octobri admodum pluvio exsistente cum se refrigerasset ægra, deterior evasit: idcirco, qvod 5 milliaria ab urbe abesset, vetita est redire, usqve dum 16ta Novembr. in nosocomium est recepta. Collo capiteqve deterius tunc, qvam initio Octobr. habuit; sed oculis magis pollebat, nam sinistro prorsus vidit, dextro vero nonnulla objecta sensibiliora (v. g. ligna transversa in listis fenestrarum), si ita sita erant, ut ab iis radii obliqve ad retinam venirent, etiam cognoscebat. Rursus ergo tentata est electricitas, at non pristino cum successu; qvippe qvæ cephalalgiam semper causarit, ut nec simplicem electrisationem ægra ferre potuerit. Impræsentiarum

dextrum capitis latus & collum admodum doluit, qvod malum e variis remediis iterata veſicantia ac pediluvia calida plurimum levabant; poſteriora tamen ad tempus tantum profuere, dum veſicantia conſtanter eſſent utilia. Alvus ad ſegnitiem prona Nitr. cathartico cum TR^a^ ſacra aperta ſervabatur. Tandem principio Januarii 1771 acceſſit anorexia, debilitasqve cum pulſu ſolito debiliore ac celeriore. Datum cum fructu decoctum Corticis cum elix. Vitriol. Abhinc debilis manſit, jam obambulans, jam multos dies lecto affixa. Februarii 24ta alium in locum translata poſt 14 dies obortis colli capitisqve doloribus lecto affixa vomere omnia ingeſta cœpit, ac ſenſim manibus primum, dein pedibus capta eſt, paralyſi lateris primum lævi, dein dextri brachium cum crure invadente. Ultimis 14 vitæ diebus nec lotium nec alvum retinuit, & uno alterove ante obitum die ſenſu omni privata eſt, viſu tamen in poſtremum deſcripto ſtatu ad finem uſqve perſeverante: Poſtremis 6. 7. hebdomadis ægra ne minimum qvidem capitis motum citra ſummos dolores pati qvivit; ultimoqve trimeſtri pulſus nunqvam lentus eſt obſervatus, vibrationum numero ultra 100 ſemper edito. In cadavere cerebrum ſanum eſt repertum, at ventriculi anteriores

humore diſtenti erant claro, ad ignem non coagulabili, cujus qvantitas in omnibus 4 ventriculis ad ℥jv æſtimabatur. In thalamis nervorum opticorum nihil erat diſcriminis; at optici nervi inde a concurſu ad foramina uſqve optica diſpari fuerunt habitu, ſiniſter qvoad omnia ſanorum inſtar, dexter vero cum firmior multo tenuiorqve, tum per omnia cinereus, qvod inciſo utroqve præſertim videre fuit. In collo proceſſus dentiformis toto ambitu cariem exhibuit, cartilagineum ejus tegumentum cum ligamento illum oſſi occipitis jungente prorſus erat peſſumdatum; perinde nexus ejusdem cum imo atlantis arcu erat vitiatus, ut capite antrorſum flexo ſpinalis medulla per hunc proceſſum comprimeretur admodum. Circa hunc locum carioſum pus nullum erat, nec inter colli muſculos. Exſciſſis autem 4 ſupremis vertebris una cum eas jungentibus muſculis, & excoctis tamdiu, donec omnia mollia ab oſſibus facili opera ſeceſſere, præter cartilagines inter vertebrarum corpora, ſuperficiebus vertebræ 3tiæ & 4tæ firmiter adhuc cohærentes, inſignis tum primum caries apparuit; ſiqvidem vertebræ 4tæ corpus lævusqve proceſſus transverſalis aliqvatenus, plus vero vertebræ 3tiæ transverſalis lævus cum obliqvo ſuperiore, eroſi erant; 1ma ve-

ro ac 2da vertebra usqve adeo fuerunt erosæ, ut 2dæ processus transversus sinister prorsus, & fere etiam obliqvi ambo hujus lateris fuerint destructi; ex arcu etiam atlantis tota anterior pars ac multum e postica lævo in latere defuit, ac maxima etiam processus obliqvi sinistri pars periit, ut condylus lævus occipitalis fulcro seu basi caruerit. Neqvis vero in hactenus allatis casibus ☿rio præ electricitate plus tribuendum esse arbitretur, producendi sunt casus amauroseos sola electricitate aut prorsus aut magna ex parte sanatæ. Binos ipse etiam HEY suppeditat, videlicet (n) lithanthracum fossori 20 annor. ante 9 fere menses sub ipsa ambulatione subito visus adeo minuebatur, ut ægre viam domum repererit. Nullos colores, nec homines, qvi umbrarum instar apparebant, discrevit. Nullus aderat seu capitis seu oculorum dolor. At die 3tio post ita denuo vidit, ut lineamenta vicinorum hominum discerneret; legere tamen haud potuit. Trimestri sic exacto in fossa carbonaria laborans subito iterum, deteriusqve, qvam ante, visum amisit, simulqve vertiginem & obtusum capitis dolorem nactus est, oculosqve

(n) Ibidem 6 Fall p. 16.

adeo ſenſibiles, ut lumen citra moleſtiam non ferrent. Poſt 3. 4ve menſes ceſſantibus vertigine & cephalæa viſus pro aliqvot hebdomadis aliqvatenus emendatus eſt; abhinc vero ad primi inſultus ſtatum fere denuo recidit, niſi qvod nunc oculo dextro objecta vicina clari coloris diſcernebat, vultus tamen humanos nullatenus; & objecta e latere ſemper intuebatur ante, qvam, qvid ſint, eadem determinaret: ſiniſtro autem oculo nil niſi lucis qvidpiam ſentiebat. Ambo oculi inſpecti amauroſin exhibuere; niſi qvod ſubitam ad lucem pupilla dextra manifeſte contraheretur, dum lævæ diffuſæ iris vix mobilis eſſet. Datis ad ſpeciem pilulis e mica panis, qveis olei eſſentialis ope odor conciliatus, electricitati ſubjectus eſt, cujus a prima adhibitione lævi oculi viſus ita emendabatur, ut matrem ſuam, ſi ad lævam ejus ſtabat, videret, pupilla etiam ſenſibiliter ſe ſe contrahente. Intra qvatriduum ſolus jam urbem ex intervallo 2 milliarium accedere potuit. Poſt 3 ſeptimanas, qveis fere qvotidie veniebat, emanſit, aliisqve remediis uſus iterum evaſit deterior, accedente etiam inflammatione; renuit nihilominus ulterius electricitatem, qvod non eosdem effectus, qvos initio, porro inde experire-

tur. Alter (*o*) pannifex fuit 38 annor. qvi A. 1768 menſe Novembri a veſtibus pluvia madidiſſimis non exutis incidit in cephalalgiam præſertim ſyncipitis cum ſenſatione frigoris & aliqvali ſtupore. Paucis poſt diebus ſupervenit amblyopia oculi dextri, ſenſim increſcens, uſqve dum illo legere neqvivit. Vere inſeqventi deſiit ſenſatio frigoris, ſtuporqve, ſuperſtite viſu hebeti. Et cum prægreſſo Decembri in nives cecidiſſet, male inde primum habuit, nullo licet poſtea ſeu capitis ſeu alius partis dolore fixo inde relicto, ac poſt horam ſiniſtri qvoqve oculi viſus minui cœpit, poſteroqve die ita fiebat deterior, ut perpetuo denſa præ oculis nebula verſaretur. Fruſtra Væ Se, nonnullisqve aliis remediis adhibitis, circiter 1ma poſt lapſum in nives hebdomade, cum jam utrumqve oculum amauroſis teneret, electricitatem ſine ullis aliis remediis experiri cœpit, a qva viſus aliqvot poſt dies emendabatur, & fere poſt trimeſtre priſtinus oculo ſiniſtro rediit, ſic ut ejus adminiculo & pannum texuerit, & commode legerit; dextro autem eatenus tantum eſt redditus, ut majores typi literas vix diſcerneret, objectaqve opti-

(*o*) Ibidem 4 Fall p. 8.

me dignoſceret, dum parumper ſiniſtrorſum locarentur. Hocce in ſtatu manſit uſqve ad A. 1772 finem Februarii (*p*); principio autem Martii, cum ambulando incaluiſſet, ac poſtea funus comitatus ſub dio ſtetiſſet, obtuſum capitis dolorem cum ſenſatione frigoris denuo percipere cœpit, ac poſt unum inde alterumqve diem viſus iterum fiebat ſenſim deterior, ut demum nec legere, nec familiares, niſi viciniſſimos ac certo ſub ſitu, diſcernere qviret. Idcirco poſt 14 inde dies electricitate, ut ante, uti cœpit, ſub qva fere poſt hebdomadem capitis dolor minuebatur, viſus autem emendatio non niſi poſt 3 hebdomades emendari cœpit, intra qvod tempus interea dolor & frigus capitis penitus deſierunt; lævo tum oculo ſenſim redibat viſus, ac poſt trimeſtre abhinc dexter qvoqve pedetentim ita recuperavit aciem, ut demum illo mediocris magnitudinis typum, *Cicero* typographis dictum, legeret, atqve objecta e directo poſita multo, qvam anno ante, melius diſtingveret, qvæ tanto etiam clarius cernebat, ſi ad lævam parumper locabantur. Continuabat porro etiam electricitatem citra ulla alia remedia, niſi

(*p*) Ibidem p. 24. ſqq.

qvod ob dolorem qvemdam lateris, qvi paucis post septimanis ab amauroseos recidiva invasit, bis parum sangvinis miserit, qva evacuatione facta ille desiit. Binas qvoqve id genus observationes jam multo ante literis mandavit S. T. QVELMALZ (q), nempe „ cum fusor typorum æneorum me adiret
„ (ait), eamqve oculorum, in primis sini-
„ stri, infirmitatem maximam accusaret, ...
„ organum propterea hoc probe introspexi,
„ obqve dilatationem immobilitatemqve pu-
„ pillæ concurrentem, seu mydriasin, len-
„ tisqve transparentiam, amaurosin... sub-
„ esse indicavi... Applico vires electri sa-
„ tis temperatas, ast sufficientes (qvas sic
„ affecti oculi per experientiam longe me-
„ lius perferunt, atqve integro usu gauden-
„ tes), oculo firmiter clauso ad foramen
„ præcise supraorbitale dictum, per qvod
„ nervus ophthalmicus WILLISII per pal-
„ pebram vicinasqve partes dispersus pene-
„ trat, qvandoqve ad inferiorem tempora-
„ lis regionis partem angulo oculi propin-
„ qvam mutata facie eas determino. Qva

(q) Progr. de virib. electr. med. apud A. HALLER. Disput. ad morb. hist. & curat. facient. Tom. 1, No 3. p. 54.

„ per qvartam horæ partem continuata ope-
„ ratione, frictione levi palpebræ præmiſſa,
„ apertoqve poſtmodum oculo, ego mobi-
„ litatem qvamdam iridi inductam, ipſe ve-
„ ro claritatem majorem obſervat. Effluxo
„ dierum qvorumdam ſpatio eadem ratione
„ opus adminiſtro, effectus majores in po-
„ ſterum exſpectaturus. Hebdomade una &
„ dimidia præterita ipſe æger de majori vi-
„ ſus acie non ſine gaudio me certiorem
„ reddit, precibusqve inſtat, ut ſemel atqve
„ iterum remedii indigitati ipſum participem
„ reddam ... Juvenis 18 annor. ante hos
„ 12 annos variolis laborans tempore inſe-
„ qventi viſus amittit aciem, demumqve,
„ pupilla ſemper dilatata exſiſtente, ſic in
„ ipſam amauroſin incidit, ut dexter ocu-
„ lus tantillum viſionis exerceat, ſiniſter
„ omni potius deſtitutus ſit. Mater atqve
„ propinqvi urgentes auxilium anxie id obti-
„ nent, ut miſerum electricis effectibus com-
„ mittam, qvos, ſemel applicata opera, tam
„ propitios invenit, ut non ſolum levitatem
„ capitis ac totius corporis, ſed viſus qvod-
„ dam exercitium, qvamvis valde exiguum,
„ obtinuerit, repetitaqve aliqvoties actione
„ ſenſim ipſius augmentum prædicet, ſpem-
„ qve mecum concipiat fore, ut ſucceſſive
„ ex voto increſcat, ubi interſtitio qvodam

„ intercurrente (qvod hac in re omnino ob-
„ fervandum commendandumqve eft) re-
„ petitio .... inftituta fuerit „. L. SPENGLERO perinde duo id genus cafus obtigere amaurofeos, in qveis utiliter adhibuit electricitatem, nimirum (r) feminæ a 5to vel 6to ætatis anno amauroticæ, ac plures jam fimul annos fluxum oculorum paffæ fimplex primum feu vulgaris electrifandi ratio eft adhibita per 10 dies, qvalibet vice ad ½ horam protracta, non fine emendationis indiciis: deinde vero alternis vicibus electrica vis per aqvam reddebatur actuofior eo cum fucceffu, ut 21mo die cœca jam & colores difcerneret, & fine duce ad machinam veniret, & fluxus oculorum effet expers. Alter (s) tiro erat pannifex, qvi 10 annis oculo finiftro amaurotico adeo vidit nihil, ut ad varia corpora incurfum in ifthunc oculum minantia illo ne conniveret qvidem; dextro vero tam exiguus etiam fuperfuit vifus, ut nec maximum typum legere illo qviret. Validis itaqve commotionibus in oculis nucha-

(r) Briefe, welche einige Erfahrung. der electrifch. Wirkungen in Krankh. enthalten 2 Br. §. 7. p. 25.

(s) Ibidem 3 Brief, §. 3. p. 27. fq.

qvé excitatis postero die tiro oculo dextro minutum typum ad notabilem distantiam prompte jam legebat, sinistro autem illatum conclavi lumen cernebat, ac ter instituta electrisatione cum colores vestium tum monetas discernebat, donec post sextam electrisationem utriqve oculo visus pristinus rediisset. Sed maxime memorabilem casum suppeditat A. FLOYER (t) de infante ad 7 annos nato, qvi citra ullam manifestam vel causam vel prophasin utroqve repente oculo cœcus evaiit cum pupillis adeo diffusis, ut iridis prorsus evanidæ color (qvem parentes lucidum griseum esse ajebant) nullatenus detegi posset, totaqve pellucida cornea velut una macula nigra esse videretur. Iris ad omnia consveta tentamina mansit immobilis, & æger nullum lucem inter ac tenebras discrimen perceperat. Die igitur morbi 4to vel 5to tentata electricitas, nempe filo ferreo uno, ad vitreum usqve globum pertingente, cruri, alio vero capiti infantis connexo, ubi vitrum satis electrisatum erat, filum ferreum a crure veniens machinæ admovebatur, qvod tam vehementem causavit ictum, ut infans præceps in-

(t) Journ. Britannique Fevr. 1752. p. 217.

genti cum clamore corruerit, vixqve adduci potuerit ad operationem alterum ſuſtinendam; tribus tamen inde adhuc toleratis ictibus lecto dein compoſitus uſqve ad ſeqventem diem in ſudore inſigni jacuit, maneqve clamavit, feneſtras ab ſe cerni. Iris tum jam tenuis annuli inſtar lucido-griſea in conſpectum ſe dabat, infansqve umbras a luce diſcernebat. Hoc ipſo ergo die heſternæ operationes eo cum fructu ſunt iteratæ, ut die inſeqvente iris tota fere jam prodierit, parumper ſimul mobilis facta. Die 3tio infans objecta jam, die 4to etiam colores diſcernebat, pupilla jam uſqve adeo facta mobili, ut die 5to omnia in oculo eſſent ſecundum naturam, viſusqve adeſſet priſtinus. Pridie cœptæ electricitatis veſicans ad nucham applicatum, brevi poſtea, nulla nempe ejus habita ratione & cura, conſanato ſponte loco, utrum ad curationem qvidqvam contulerit, dici neqvit. Præter hoſce ægros electricitate vel aliqvatenus vel plane curatos alii qvoqve ſuperſunt 17 numero a JANINO (*u*) peculiari ſibi methodo electricitatem citra machinam electricam applicandi, qvos inter matrona erat utroqve oculo

(*u*) ROUX l. c. Tom. 39. Mai A. 1773. p. 441.

adeo

adeo amaurotica, ut radios ſolis ardentis clariſſimos nullatenus perceperit: hæc methodo Cl. Viri non modo ita deinceps viſum recuperavit, ut minutiſſima qvæqve objecta (v. g. capillum 6 pedes ab oculo diſtantem) cerneret, ſed etiam ab anorexia, vigiliis, corporiſque debilitate, qveis cum amauroſis juncta erat, eſt vindicata. Sed ut efficax hocce ad amauroſin remedium rite ac ſine ullo, ut aliqvando eſt obſervatum, diſcrimine adhibeatur, operæ pretium erit iſthic nonnulla ſubjicere, qvorum ope ſcopuli omnes in electricitatis uſu vitari qveant. Enimvero

§. 107.

Cautelæ aliqvæ hic uſqve adeo ſunt neceſſariæ, ut iis neglectis electricitas aut fruſtra aut cum detrimento etiam ægrorum adhibeatur. Nempe

1. *Recens ſit morbus;* ſecus in morbo vetuſto raro ſucceſſus habet. „ Nunqvàm „ vidi, ait W. HEY (*x*), eam in morbo, „ ſi ultra biennium duravit, vel tantillum „ profuiſſe, licet multis hujusmodi in caſi-

(*x*) l. c. p 22,

„ bus a me tentatam „. Profuit nihilominus ejus pannifici triennium jam amaurotico, & QVELMALZII juveni, binisque SPENGLERI ægris, multo etiam diuturniorem amaurosin passis: ut proinde ne in vetusto qvidem etiam morbo electricitas negligenda esse videatur.

2. *Evacuationes* sangvinis, alvi, &c. præmittendas esse ego qvidem censeo, tum ad pericula qvæqve vitanda, tum ipsam qvoque curationem facilitandam.

3. *Diuturna* sit electricitatis ac sedula administratio; qvandoqvidem in HEYI pannifice non nisi post trimestrem ejus continuum usum emendari visus occepit. Hæc forte etiam est ratio, cur frustra dicatur electricitas in nonnullis fuisse tentata, qvod non illico, velut in SAUNDERI (y) casu, profuerit. Accidit etiam, ut non pauci, qveis principio electricitas visum celeri incremento emendabat, postea vero non perinde, vel tædio moræ, vel qvod penitus curari haud desiderent, velut mendicabula, ne stipem causa miserationis ablata perdant, vel alio quocunque casu, curationi huic valedicant. HEYI certe lithanthracum fossor tæ-

(y) V. de §. præced.

dio moræ ad machinam tandem reverti renuit. Juvabit hic duos expertiſſimi Medici Vindobonenſis C. MAYRI caſus in medium adferre, qvorum etſi curatio e paulo antedictis cauſis abſoluta haud fuit, qvod tamen & phænomenis qvibusdam peculiaribus ſe ſe commendent, & electricitatem liqvido oſtendant haud ſupervacuam fuiſſe, e reliqvarum conſortio expungendæ non videbantur. Videlicet I. KÜHN (z) miles 47 annor. A. 1770 citra manifeſtam cauſam ſubita lævi oculi amauroſi correptus eſt; lapſo tamen aliqvo poſt tempore lucis iterum tantillum percepit, nimirum poſt longam ac operoſam oculi directionem obſervabat lumen magnitudine cuſpidis acus capitatæ. Poſt triennium oculus dexter a febre acuta continua perinde ita debilis evaſit, ut homines viciniores ægerrime, ad 10 vero vel 12 paſſus remotos nullatenus agnoſceret. A. 1774 meſe Januario ad Cl. MAYR venientis oculus lævus perfectam exhibuit amauroſin, dextro lucis adhuc aliqvid uſurpante. Ad machinam proinde electricam ducto Ja-

(z) Beytræge zu verſchiedenen Wiſſenſchaften von einigen Oeſterreichiſchen Gelehrten 1 Bande p. 409. ſqq.

nuarii 19no die prima vice 30 admodum leves commotiones factæ, qvæ ope exigui ad id destinati instrumenti nervum opticum lævi oculi tremulum in motum civere. Nocte insequente levem dolorem pungentem isthoc in oculo sensit, cetera nil mutationis observatum. Altera vice 50 commotiones factæ, a qveis lucem diurnam utcunque sensit, qvam perceptionem 70 aliæ validiores commotiones auxere. Inde post bis datos 80 ictus annulum album præ oculis interdum observabat, ac post tertium illatos 80 ictus pupilla demum abhinc magis mobilis, dum æger oculum alternis vicibus claudere & aperire jubebatur, fieri cœpit. Qvindecim deinceps conseqventes electrisationes nihil mutationis fecere, at 16ta eodem ictuum, ut ante, numero illato, absoluta qvadrangularem lucis figuram in fenestra observavit. Postea cum 14 seqventes aliæ electrisationes nil denuo notatu dignum præstitissent, post 15am, dum prismatis ope solaris radius in 7 colores primigenios super conclavis pariete diremptus ei spectandus præberetur, nullum ex iis alium, præter solum violaceum, videre qvivit, nec nisi post vicies ac semel iterum institutam electrisationem præter violaceum colorem flavum etiam atqve aliqvid e rubro conspicabatur. Inde rursus

qvindecim vicibus machinæ admotus nil mutationis sensit; at 16ta vice tentamine absoluto vesperi lumen candelæ sanorum instar vidit, & sub 34ta electrisatione observavit pedes prætereuntium hominum moveri, ac vestes qvoqve eorumdem parumper dignoscebat; spesqve erat fore, ut æger continuato hocce labore tandem pristinum recuperet visum, qvi post 92 vices ad machinam tam brevi tempore tantum lucratus est, licet morbus 4 jam annos duravisset. Alter (*a*) C. AUDERER 52 annor. pyrobolarius invalidus A. 1773 a drastico emetico sumpto oculis pedetentim deficere cœpit, donec visum ita omnem perdidit, ut nec adversi solis lucem ullatenus sentiret. A. 1774 die 27 April. inspecti oculi ambo reperti sunt amaurotici, præterea dimidiam oculi dextri corneam tenuis pellicula alba obduxit, amboque bulbi continuo erant in motu, velut si eodem tempore unum in latus traherentur. Væ Se facta, die 29 April. primum machinæ admotus est, 20 lenibus utriqve oculo illatis commotionibus. Altera vice sexagies commotio facta, idqve ad sextam usqve vicem: tum vero albam interdum lu-

(*a*) Ibidem p. 411. sqq.

cem obſervabat. Tribus ſequentibus vicibus electricitas eodem modo adhibita nil mutavit; at poſt 4am cœpit obſcuram lucem, veluti dum illuceſcit, ſentire, & ubi duodecies machinæ vim ſuſtinuit, corpus ſolem inter & oculos intercurrens animadvertebat. A 13tia vice ad 18am nil mutationis obtentum: undevigeſima autem vice tolerata electricitate pellicula oculi dextri plus pellucere, atqve in exiguas hinc inde inſulas fatiſcere conſpiciebatur, pupillis etiam pauliſper factis mobilioribus. Operatio 23tia ſuſtulit motum, qvi a ſpaſmis muſculorum bulborum proficiſci videbatur. A 24ta ad 38am vicem nil mutatum. Poſt 39am electriſationem æger motum digitorum oculo dextro objectorum, non item figuram eorumdem, obſervare potuit: idem qvoqve, at obſcurius, oculo ſiniſtro percipiebat. Poſtea intermiſſa 14 dies ob negotia electricitate viſus iterum evaſit obſcurior. Eapropter ad machinam 40ma jam vice revocatus eundem commotionum, ut ante, numerum ſuſtinuit, & 42da vice albidam iterum lucem ſenſit. Poſt 44am vicem rurſus digitorum ob oculos motum, ſed haud ita clare, uti a 49na electriſatione, percepit. Nihilominus poſt 46am vicem ipſum hunc motum, digitosqve, & eorum interſtitia cernebat, donec a 66ta

operatione hominum qvoqve prætereuntium figuras discerneret. In hoc qvoqve ægro multum affulgebat spei, ut continuato ad machinam labore visus tandem prior revertatur. Hæc ubi legissem, exitum casus utriusque sciendi percupidus, ipsum Expert. Virum Vindobonæ conveni sciscitaturus, qvis demum tentaminum horum fuisset successus? Candide ille, ac sine ambagibus reposuit: frustra suam se his miseris addixisse operam; quandoquidem alter eorum metu captus, ne recuperata videndi facultate e numero invalidorum expungeretur, comparere amplius ad machinam detrectaverit; altero autem qvid post suum e nosocomio discessum factum demum fuerit, se prorsus ignorare. Et vero Budæ qvoqve hodiedum vivit mendicus utroque oculo amauroticus, qvi a Cl. Viro G. de VEZA Facult. nostræ Directore ad machinam electricam stipe qvotidiana (7 crucig.) conductus, ubi visum se inde recuperare observasset, adduci neutiqvam potuit, ut ad ulteriora tentamina reverteretur, maluitque homo ob senium ad panem labore qværendum invalidus inutili carere visu, qvam aliorum misericordia.

4. *Methodus electrisandi* tutissima esto. Non possum ipsa hic mei olim in Physicis

venerandi Præceptoris ac Viri in electricis experimentis veterani J. HERBERT (*b*) verba dare: „ ut rerum electricarum (inqvit ille), non item medicinæ, peritos „ admonerem, & officii & charitatis in „ omne genus humanum rationes depoſcere „ videbantur, ne ſcilicet rei electricæ gnari „ niſi de Medicorum peritorum conſilio cu- „ rationibus electricis ſe ingerant, ne ſuſ- „ ceptas niſi his aſſiſtentibus continuent. „ Tranſit electricitas per viventium nervos, „ velut ſi per anguſtos horum canales mo- „ dica qvantitate tranſeat, obſtructos reſe- „ rare poteſt, ita nimia copia deducta eos „ extendere, rumpere, dilacerare etiam „ poteſt. Inde potiſſimum factum eſt, mul- „ ti ut ſint, qvi electricitate fortiori, qvam „ res poſceret, adhibita machinam hodie „ graviorum malorum, qvam qvæ ad hanc „ attulere, cauſam deteſtentur. Qvid qvod „ ſub ipſas electricas curationes non infre- „ qventer eveniat, ut malum electricis irri- „ tationibus ſuo loco emotum uno ſublato „ alios morbos inducat, non jam ſola ele- „ ctricitatis, ſed totius rei medicæ peritia

---

(*b*) Theor. phænom. electricit. Schol. 2. ad Prop. 5. p. 198.

„ ſanandos, Qvum centenis & amplius hu- „ juſcemodi curationibus adfuerim, in ma- „ lis inveteratis præſertim, ſemper expertus „ ſum, paralyſim ſimilesqve morbos ſæpe „ in febres rheumaticas, ſæpe in catarrhos, „ ſæpe in diarrhœam non niſi a perito me- „ dico ſanandam, degeneraſſe „. Hunc etiam in finem proponit machinulam uſibus medicis citra omne ægrorum periculum ac-commodatam (*c*). Ac demum (*d*) „ qvum „ de loco (ait), qvo applicanda electrici- „ tas videatur, dubium eſt, id optimum ex „ experimentis, qvibus aſſiſtebam, eſſe di- „ dici, ſi hæc ab uno partis læſæ extre- „ mo ad alterum traducatur, parti tam uni, „ qvam alteri laminæ metallicæ, qvibus ca- „ tenulæ cum armaturis communicantes affi- „ xæ ſunt, tæniarum ſericarum ope appli- „ centur. Nil hic attinet de nervorum fle- „ xibus ſituqve in ictuum applicatione ſolli- „ citum eſſe, ipſa ſibi electricitas, qvacun- „ qve demum parte illabatur, viam minimæ „ reſiſtentiæ nervos deligit „. JANIN (*e*) qvoqve, ubi varia incommoda a machinis

(*c*) Ibidem. Schol. 3. p. 199.
(*d*) Ibidem. Schol. 4. p. 200.
(*e*) l. c.

electricis proficifci memoraffet, addit, peculiarem ac tutam fibi effe methodum electricitatis in amaurofeos curatione adhibendæ, qvam fe una cum obfervationibus publici juris facturum pollicetur.

§. 108.

II. EMBROCHE qvoqve ad concutiendos nervos ac vafa, ubi ab his infarctis illi paralytici evafere, longe utiliffima obfervatur. Exemplum illuftre hanc in rem apud L. HEISTERUM (*f*) reperire eft de juvene 16 annor. qvi poft diuturnam cephalæam, cophofin, obftructiones, &c. amaurofi, omnem prorfus vifum adimente, citra ullum in oculis confpicuum vitium, correptus eft: contra qvam cum nec interne crebrius data purgantia, ac poftmodo nervina hocce in morbo efficaciffima, nec extrinfecus adhibita genuum tenus pediluvia, cucurbitæ fcarificatæ pone aures, ad occiput, latera capitis, ac fcapulas, veficantia, collyria ac fotus vaporesqve ophthalmici, errhina, fonticulus in pede ac brachio, ipfumqve nu-

(*f*) Med. chir. u. anat. Wahrnehm. 2 Band. No 328.

chæ ſetaceum, qvidqvam effatu dignum præſtitiſſent; nec plus a ☿rio interne externeqve ad ptyalismum uſqve adminiſtrato fuiſſet effectum: tandem embrocatio hunc in modum tentata eſt:

℞. Rad. Valerian. ℥j
Herb. Euphraſ.
—— Roſmarin.
—— Veronicæ
Summit. Hormini aa. M. j.
Baccar. Juniperi M. ij. Conc.

cont. D. ſpecies pro balneo coqvendæ in lebete aqvæ, e qva tam calida, qvam ferri ab ægro poteſt, in vannum effundendum eſt tantum, ut æger induſio a tergo patulo indutus umbilico tenus in eadem ſedere poſſit. Eadem etiam aqva aliud vas epiſtomio præditum replendum eſt, & ſupra ægrum verticaliter locandum, ex eoqve, ubi aliqvamdiu ille in vanno ſedit, aqva aperto epiſtomio calida in ejus ſpinam dorſi infra ſetaceum per ½ horam aut diutius, modo id citra incommodum ægri fieri qveat, eſt emittenda. Exactis ita 3 hebdomadis idem & deinceps labor continuetur, at ita, ut in dorſum primum aqva aliqvamdiu ſtillet, dein vero alternis vicibus jam in caput, prius ad palmi ſpatium raſum, jam iterum in ſpinam fluere ſinatur, & qvo tempore dorſum pul-

ſat, complicatæ mappæ eadem aqva madidæ calide capiti applicentur, ac perpetui caloris, ſtaſes in vaſis capitis diſcuſſuri, conſervandi cauſa mappis his calida illa aqva ſæpius affundatur. Qvotidie autem epiſtomium aperiatur largius, ut ita vis aqvæ capiti dorſoqve illapſuræ evadat major, donec rivi inſtar effluere ſinatur. Poſt balneum calide ſiccatus æger, induſio calido, ſiccaqve mitra capiti indita, lecto compoſitus tectusqve qvieſcat, ac leni ſudori vacet, hauſtis aliqvot vaſculis vel potus theati vel infuſi ex Euphraſiæ M. ij. & Lign. Saſſafr. ℥j, conceſſo etiam interdum uno alterove vaſculo Caffee. Diæta ſit idonea, ac ſub paſtu ſemper vini poculum unum alterumve hauriatur, cujus in menſura j. Rad. fœnic. ℥j. & Euphraſ. M. ij. ſacculo indita ſuſpenduntur, affundendo eidem veſperi tantundem ſemper, qvantum interdiu eſt exhauſtum. Hæc per 3 hebdomades qvovis mane, & ultra, calido in conclavi facienda imperabantur, nec ſine ſucceſſu; nam viſus inde juveni eatenus rediit, ut omnia majora objecta videret: ſed qverebatur ſimul videri ſibi, quaſi qvid ob oculos oſcillaret, hoſce etiam lucis, ob dolores inde emergentes, eſſe impatientes, eam proinde admota illis faſcia arceri hactenus debuiſſe. Faſciæ loco Cl. Auctor velum

sericeum aut viride aut nigrum e fronte pro oculis protegendis suspendendum svasit; nec non collyrii seqventis usum:

℞. Rad. Valerian. ℥ß

Herb. Hyssopi p. j. M. F. ℥ D. in nodulo e sindone alba in vino coqvendus, qvo oculi aliqvoties intra diem abluantur. Qvis tandem ulterior fuerit morbi eventus, literis mandatum non est.

§. 109.

III. AGITATIO *nervi frontalis* crebrior ad hancce classem perinde est referenda, cui experimento non VALSALVA modo, sed MORGAGNIUS qvoqve plurimum tribuit, ea præsertim in amaurosi, qvæ læsiones superciliorum palpebrarumve (g) conseqvi solet; concussionis enim genus est, qvæ ad ipsum usqve nervum opticum, eumqve ambientia vasa propagatur, sicqve stagnantia movet, langventesqve fibras excitat, vitiosum nervi frontalis in læsionis persanatione ad vicina nexum solvit, &c. Enim vero ,, noti cujusdam chirurgi uxor, inqvit J.

(g) Vide §. 47. b).

„ VALSALVA (*h*), cum gallum Indicum „ capere vellet, ab eo percuſſa eſt impacto „ ungve in alterum oculum. Paucus e vul- „ nere exſtillavit ſangvis, & viſus illico a- „ miſſus eſt. Varia adhibita ſunt remedia, „ incaſſum tamen omnia. Triduo poſt ad „ me accedit mulier auxilium implorans. „ Oculum diligenter inſpicio, ſi forte aliqva „ læſio deprehendi poſſit. Sed nec externæ „ partes nec internæ qvidqvam indicant „ læſi. Dum igitur mecum ipſe meditor, „ qvidnam interius inſenſibiliter vitiatum „ eſſet, unde viſus amiſſio penderet; ſuſpi- „ cio incidit de annulo nervi optici mode- „ ratore, qvi a vulneris dolore convulſus „ ſpirituum affluxu impedito malum iſtud in- „ duxiſſet. Itaqve animadvertens nervum „ ſupra orbitam oculi erumpentem tranſire „ prope annulum, ipſiqve propagines ner- „ veas impertiri, illum, qva ab orbita erum- „ pit, valida pollicis compreſſione agitavi. „ Vix hoc factum eſt, cum ſtatim priſtina „ oculo viſio reſtituta eſt „. Hinc etiam teſte J. B. MORGAGNIO (*i*) „ felix illa „ rami e 5to nervorum pari ex orbita ad

---

(*h*) Diſſert. anat. 2. §. 11.

(*i*) Epiſt. anat. 18. No 7.

„ frontem se reflectentis agitatio, per qvam „ mulieri videndi facultas est a VALSALVA restituta, ab ipso postea tanti fiebat, „ ut in consilio pro nobili viro, qvi inter „ venandum ex resiliente in oculum plumbeo globulo qvam exiguo leve vulnusculum & vix conjunctivam lacerans tunicam „ retulerat, & visum tamen, interiore nulla apparente læsione, fere statim amiserat, præ ceteris, qvæ indicabat, remediis hoc ipsum commendaverit. Ejus qvidem rami aptum motum & convenientem „ posse in ejuscemodi casibus aliqvando opitulari, inde, opinor, licet intelligi, „ qvod idem ramus contra læsus atqve compunctus effectum videtur contrarium „ edere „.

CAPUT VII.

ULCERA ARTE FACTA.

§. 110.

ULCERA *artificialia* qvantum in amaurosi curanda possideant efficaciæ, vel ex eo liqvet, qvod nullum pene exstet adversus huncce morbum remedium hactenus cognitum, cui tot curatæ amauroses deberentur,

qvot arte excitatis ulceribus profligatas historia medica exhibet. Fortuiti vero casus mortalibus, ut videtur, ad hæc præsidia amplectenda facem prætulerint. Nam ALEX. BENEDICTUS (*k*) „ vidit Hyaderæ supra „ frontem vulneratum cœcitate & vulnere „ liberatum senem visu hebetiore nonage- „ narium „. Et alibi (*l*) „ Germanus qvi- „ dam (ait) Hyaderæ octuagenarius, visu „ hebetiore, eqvo abactus currente in ter- „ ram ex improviso, fere exanimatus, in „ lapidem capite conjectus est, confregit „ frontem: in ea curatione (id enim vidi- „ mus) visum recepit „. Similia apud CAMERARIUM (*m*) qvoqve legere est. Sane & sangvinis e frontis venis effluxus, qvi hic accidit (*n*), & concussio encephali stagnantia in motum ciere valens (*o*), & demum ulcus ex vulnere natum, de qvo hic sermo est, ejusmodi in casibus egregie opitulantur. Naturæ proinde vestigiis insistentes Medici arte vulnera ulceraqve exci-

(*k*) De corp. morb. L. 3. in proem.
(*l*) Ibidem cap. 29.
(*m*) Memorab. Cent. 7. §. 4.
(*n*) Vide §. 94. a).
(*o*) Vide §. 105.

tare

tare non ſine ſucceſſu in animum induxere, idqve vel acribus remediis, ut ſunt cantharides, ranunculus, lapis cauſticus, &c. vel vivo igne, vel ferro deniqve. Hujus ergo loci ſunt

§. 111.

1. *Veſicantia*, qvæ GOHLII (*p*) puellæ, SCHMUCKERIqve militi (*q*) æqve ac puellæ (*r*), nec non WESTPHALI (*s*) puero, uti & feminis HANNEMANNI (*t*) ac TRECOURTII (*u*), eximiam tulerunt opem. Apud G. W. WEDELIUM (*x*) „ a morbil- „ lis reſtitutus puer ruſtici ſenſit aliqvando „ dolorem capitis, hinc, oculo ad ſpeciem „ illæſo, perfectam cœcitatem; purgante „ veſicatorioqve reſtitutus, obſervante B. „ LUDOVICI „. Applicantur vero pro re nata ad femora vel brachia, nuchamve, aut

---

(*p*) Vide §. 98. No 1.
(*q*) Vide hiſtor. 7.
(*r*) Vide §. 66. No 2.
(*s*) Vide §. 73.
(*t*) Vide §. 114.
(*u*) Vide §. 113.
(*x*) Diſſ. de amauroſi C. 3. p. 17.

pone aures, aut ad ipſum etiam caput. „ In caſu deſperato, inqvit L. RIVERIUS „ (y), poſtqvam omnia remedia fruſtra uſur- „ pata ſunt, veſicatorium toti capiti raſo „ inſtar cucuphæ admotum multum aliqvan- „ do profuit, etiam bis aut ter admotum, „ ubi priores veſiculæ & excoriationes ex- „ ſiccatæ fuerint „. Præprimis autem capiti utiliter admovetur veſicans, ubi achores retropulſi, amauroſin cauſantes, revocandi ſunt; qvam in rem ſeqventem narrat hiſtoriam J. M. MÜLLERUS (z) „ filiolus... „ octennis ... poſt ſcabiei capitis ſubitam „ exſiccationem etiam ſubito gutta corripi- „ tur utriusqve oculi ſerena. Anteqvam ad „ ipſum accerſebar, cum internis ſudorife- „ ris veſicatorium nuchæ fuit applicatum. „ Poſtea die 14ta Dec. A. 1716. ego con- „ ſultus ſeqventia præſcripſi:

℞. MP. de ſuccin. CRAT.
☿ dulc. 16es ♎ti aa ℈ß.
Extr. Coloc. gr. j. F. pil. No xj.

„ pro una doſi. Seqventi die:

℞. Rad. Valerian. ℥ß.
——Irid. Florent. ʒjß

(y) Prax. med. L. 2. C. §. ult.
(z) Niſc. nat cur. Cent. 8. Obſ. 32.

Flor. Anthos
—— Salviæ aa ʒß
Herb. Euphraſ. ʒij.
Sem. Fœnic.
—— Aniſi
—— Siler. mont.
—— Rutæ
Lign. Aloes
Cubeb. aa. ʒj.
Macis
Nuc. moſch. aa. ℈ij.
Cinnamom.
Cort. Culilab. aa. ℈jv.
☿ Cinnabarin. ʒiij.
Ambr. griſ. gr. ij.
Sacch. ad p. o. De qva tragea
„ hora 1 ante prandium & cœnam ac ſub
„ introitum in lectum cultell. cuſp. 2 pro-
„ pinand.

℞. Raſ. lign. ſanct. ℥iij
Cort. Culilab. ʒijß
Lign. Saſſafr.
Rad. Sarſapar.
—— Chelidon. maj.
—— Enul. aa. ℥ß.
—— Valerian. ℥j.
Herb. Salv.
—— Beton.
—— Chamædr.

Herb. Rorismar. aa. M. ij.
—— Euphraſ. M. iij.
Flor. Scabioſ. M. jß.
Sem. Siler. mont.
—— Rutæ
Cinnam. ac. aa. ℥ ij
Caryoph. ʒj ß. M. coq. in menſ.

„ jß ▽æ font. ad $\frac{1}{3}$ part. conſ. de qvo de„ cocto mane hora 7ma & pom. h 3tia un„ cias iij bibendas, & intra ſcapulas rad. „ Valerian. rec. pendendam pro amuleto, „ id qvod ſingulis 4 vel 6 diebus reiteran„ dum, empl. item veſicatorium capiti, il„ loqve remoto, ad fluorem per aliqvot „ dies ſollicitandum, empl. Saturnin. cum „ $\frac{1}{3}$ parte empl. veſicatorii permixtum ap„ ponendum præcepi, ac fonticulum intra „ 2 & 3 colli vertebram inurendum curavi. „ Præterea uſum aeris temperati in hypo„ cauſto temperate calido, ciborum conco„ ctu faciiium, bene coctorum, chylum lau„ dabilem præbentium, ſvaſi, non nimis ta„ men pro una vice, idcirco etiam parum „ hor. 1. poſt aſſumptum decoctum pro „ jentaculo & merenda conceſſi, qvia ap„ petitu, more ætatis iſtius, inſigni gau„ debat. Potus ſit cereviſia bene defecata „ vel vinum dimidia ▽æ parte dilutum, & „ cubitus elato capite; oculi interdiu & veſ-

„ peri præsente candela velamento muniantur: aerem vero frigidum, fumosum, humidum, hypocaustum nimis calidum, alimenta frigida, salita, acida, fumo indurata, acria, aromatibus nimis condita, dura, viscosa, flatulenta, concoctu difficilia, lacticinia, merum, vigilias motum nimium, iram, mœstitiam, fletum &c. fugienda dixi. Patiens . . . morigerus in omnibus fuit,.. ita... ut circa finem ejusdem Dec. proritata inde iterum capitis scabie admodum humida paulatim visum denuo obtinuerit, ac literarum etiam minorum typum, ut anteqvam corriperetur cœcitate, cognoscere potuerit „. In amaurosi a spasmis & convulsionibus prægressis enata tollenda vesicantia capiti, nuchæ, artubusve applicata perinde opitulantur: ut vel hinc appareat, id genus amauroses ab humorum versus caput vi spasmorum congestione esse repetendas. I. S. KNISELII (*a*) Pater 71 annorum catarrhis obnoxius post superatam pleuritidem, in abscessum pectoris abeuntem, huncqve ipsum etiam sanatum, resumptis viribus confecto eqvita-

(*a*) Diss. sist. hist. pleuritid. &c. 4to Tubing. 1690. Præs. E. R. CAMERARIO.

tione aliqvot milliarium ſalebroſo itinere domum redux incidit in colicam ſpaſmodicam cum ſiti, anorexia, cardialgia, vomitu, alvo clauſa, & comate agrypnode, a qva die 4to arte vindicatus poſt vinum generoſum largius potum recidivam ſuſtinuit ad remedia contumaciorem, cujus mane diei 4ti ſyncope acceſſit. Ab hac æger incongrua locutus, oculis fixis nil niſi ludibria vidit, ſcilicet toto ubiqve cubiculo florum elegantiſſimorum agmina. Sub veſperam reverſa eadem debilitate plena ingruit amauroſis cum capite adeo turbato, ut nec, ubi ſit, recordaretur æger. Verum uſu antiſpaſmodicorum interno, extuſqve naribus, vertici, temporibusqve admotorum, injectis enematibus, excitatisqve in brachiis & cruribus veſicis, rurſus demum convaluit. Sic „ Comes... ex febre bene vel male curata „ neſcio, inqvit C. RAYGERUS (*b*), factus „ colicus, propter ingentes dolores & pertinaces conſtipationes, a qvodam pharmacum ſumpſit purgans, ac poſt illud duo „ vel tria ſudorifera. Ecce derepente fit „ paræticus, nec multo poſt etiam viſus ſenſit diminutionem, omniaqve qvaſi per ne-

(*b*) Schol. ad P. SPINDLERI Obſ. med. 3. p. 6.

„ bulam ſe cernere aſſeruit, tandem dum
„ mecum loqvitur, nec me nec alios nec
„ qvidqvam aliud ſe videre exclamat, imo
„ neſcire diesne an nox ſit, vegetis tamen
„ nec qvidqvam turbatis oculis. Statim cu-
„ ravi applicari veſicatorium cervici, exhi-
„ bui caput corroborantia, antiepileptica,
„ nec intermiſſis clyſteriis convenientibus:
„ ſic intra 24 horas recuperavit viſum, ac
„ ſucceſſive etiam membrorum rediit uſus.
„ Simili modo ... circa medium Julii Com-
„ miſſarius qvidam bellicus graviſſima colica
„ vix liberatus, ob errorem in victu com-
„ miſſum iterum recidivam paſſus, derepen-
„ te, remittentibus prope omnibus ventris
„ torminibus, prægreſſa ſolum vertiginoſa
„ capitis debilitate, mane hora 4ta excœca-
„ tur. Huic itidem ad verticem & pedes
„ applicata veſicatoria cum clyſteriis & con-
„ fortantibus cephalicis viſum circa 8am veſ-
„ pertinam illius diei reſtituere „. Neqve
minus proficua ſunt in puerperarum amauro-
ſi. J. P. ALBRECHTI (c) mulier poſt primam
puerperii hebdomadem ſecunda valetudine
transactam viſu fatiſcente repente ambobus
oculis, citra conſpicuum in iis vitium, cœ-

(c) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 9. obſ. 81.

ca evasit. Præmissis universalibus data specifica volatilia, aperitiva, ac discutientia; extrinsecus vero ptarmica, cucuphæ, & vesicantia administrata visum post aliqvot hebdomades revocarunt pristinum. Ne vero aut nervina interna aut enemata simul usurpata plus præ vesicantibus effecisse cuiqvam videantur, subjunctus N. TULPII (*d*) casus cavebit: ex epilepsia „ in ... inscium partum (narrat ille) ... incidit ... affinis „ nostra ... sed privabatur hæc præterea „ visu; licet foris nec hebetudinem acies, „ nec aliud aliqvod vitium ostenderet ex- „ terna oculi tunica ... Excelluere ampla „ vesicatoria internis feminibus admota, „ qvorum ope retrahebatur tam potenter „ sangvis sursum vergens, ut ... evaserit „ feliciter ... illam cœcitatem, qvam ple- „ riqve Medicorum judicaverant habere „ certam desperationem „. Sed nihil de palpebris hactenus dictum est, ad qvas etiam, si paralyticæ simul sunt, vesicantia admodum fructuose applicantur, cujusmodi bina exempla suppeditat F. H. L. MUZELL, nempe (*e*) musicum 39 annor. robustum,

---

(*d*) Obs. med. L. 1. C. 10.
(*e*) l. c. Cas. 15. p. 94.

plethoricum, ſemper ſanum, ſubito media nocte dolor vehementiſſimus capitis expergefecit, qvi illato lumine momento in oculum dextrum trajecit, palpebra ſuperiore paralytica reddita, ut dimidium bulbum tegeret pendula, qva manu ſublata pupilla ampliſſima ac parum admodum mobilis apparuit, dum contra pupilla læva eſſet & arcta & mobilis: liberrimus tamen erat bulbi dextri motus. Sano oculo ad illatum lumen clauſo candelæ pro una binæ, eæqve inverſæ, & ab ſe qvaſi ad ½ milliare diſſitæ oculo affecto apparebant. Facta in pede Væ Sº largiſſima, amploqve inter ſcapulas veſicante poſito, ac data potione ex aqvis ſtillat. cum Nitro, ſale Abſinth. citrato & ſyrupo, poſtero die ſumpſit Reſinæ ppt. & ☿ dulc. aa. gr. viij. unde largiſſimæ dejectiones ſecutæ. Ab his omnis capitis dolor deſiit. Cumqve per aliqvot dies m. & v. camph. gr. ij. cum Nitro uſurpaſſet, nihilqve præter oculum laboraret, ſepoſitis remediis, veſicante vero uberrimo in fluxu conſervato, oculo læſo diu noctuqve applicabantur ſacculi herbar. aromaticarum Ωu lil. convall. °/° ſtill. ſalviæ, &c. humectati; palpebræqve illitum ungv. nervinum cum oleo ſtill. miſtum, qvæ intra 14 dies motum & pupillæ utcunqve, & palpebræ, ut pro dimidia par-

te elevari poſſet, reddiderunt. At ſingulare fuit, qvod in emendatione morbi æger objecta inverſa qvidem adhuc ac duplicata videret, ſed minus jam, qvam ante, & non niſi ad 6 circ. pedes ab ſe diſtantia. Cum vero palpebra non ultra dimidiam altitudinem elevaretur, impoſitum fuit arcui ſuperciliari veſicans in arcus formam exſciſſum, 2. 3ve tantum horis ibidem relinqvendum: qvod cum æger ultra 6 horas non dempſiſſet, veſica inſignis, emplaſtri magnitudinem æqvans, enata eſt, qvæ inciſa multum laticis præbuit. Dolorificum hoc remedium intra aliqvot dies viſum ita emendavit, ut duplicata qvidem adhuc objecta non niſi ad 2 jam pedes diſtare viderentur. Continuatis vero aliqvot adhuc hebdomades remediis, intercalatisqve catharticis, priſtinum & palpebra motum & oculus viſum, ſine ulla ejus debilitate ſuperſtite, recuperarunt. Alter (*f*) vir 48 annor. admodum plethoricus, a viceſimo ætatis anno hæmorrhoidum fluxum, citra ullos tamen ſpinæ dorſi dolores aliave incommoda, ſæpius paſſus, 40mo ætatis anno rheumaticos arthriticosqve dolores crebrius experiri cœpit, qvi demum

---

(*f*) Ibidem Caſ. 16. p. 101. ſqq.

poſt ſtatas vernales & autumnales V^æ^ S^es^ ac therapiam idoneam in mitem regularemqve podagram abiere, pollici pedis inſidentem, lecti vero calore ac leni diaphoreſi, debitoqve regimine ſemper diſſipandam, priſtina ſanitate revertente. Sed impatiens ejus æger, V^æ^ S^bus^, qveis accerſitam rebatur, abſtinere plane conſtituit. Triennio ita ſine paroxyſmo transacto, tandem verno tempore in vertiginem incidit cum vehementi cephalalgia, inſigniqve in occipite, præſertim dextrum in latus, frigoris ſenſu. Vertigo V^æ^ S^ni^ brachii ceſſit, at cephalæa cum frigoris ſenſu crevit. Dato ☿^e^ temper. albo cum aliqvot granis camphoræ, admotoqve nuchæ veſicante, poſt vehementem noctu a ☿^e^ ſudorem mane mitius habuit. Imperata inde in lecto perſpiratio. Cum autem deinceps æger dies aliqvot remediis caruiſſet, capitis dolor enormiter crevit cum vaſorum encephali, dum æger dextrum in latus cubabat, tam vehementi pulſu, ut $\frac{1}{2}$ caput a fronte ad mandibulæ uſqve baſin acerbiſſime dolens eum latus mutare cogeret. Tandem nullo in ſitu levius habens omni caruit ſomno: nam ſi qvando parumper indormiit, capite vel antrorſum vel in latus nutante doloris vehementia continuo illum cum pavore excitavit. Omnes venæ videbantur

eſſe arteriæ. Mane expergefactus ſuiqve compos dextram palpebram paralyticam, ad ½ bulbum oculi dependentem obſervavit, qva manu in altum ſublata pupilla non modo ampliſſima fuit, ſed etiam ad bulbi frictionem vel parum vel nihil contrahebatur, id qvod in comparatione cum oculo ſano præſertim videre erat. Objecta qvæqve velut vitrea ipſi, ac tanqvam trans priſma multiplicata apparebant. Bulbi qvoqve motus erat præter naturam, ut qvi verſus externum canthum non niſi aliqvatenus, verſus internum autem nullatenus, moveri potuerit. Idcirco ad materiam arthriticam a capite aliorſum ducendam amplum brachio dextro veſicans, oculo vero ſacculi ex herbis aromaticis Ω^{u} nervino cum pauxillo Ω^{us} Θ* vinoſi irrorati admoti, pediluviaqve imperata; ſed qvæ, tepida licet, qvod ægrum excalfacerent, doloresqve augerent, omitti debuere. Interea eodem die V^{æ} S^{o} in brachio dextro, ac poſtero die ob durum adhuc plenumqve pulſum lævo in pede, ad ℥x ſemper, facta. Die inſeqventi datæ pilulæ reſolventes e gummatibus cum rheo & extr. helleb. nigri. Unde capitis dolor omnino deſiit, ſeqvente ſomno & levamine. At poſt 5. 6. dies cum rurſus cephalalgiæ molimina ingruerent, iterata pedis V^{æ} S^{e}, & data lo-

co ante dictarum pilularum, qvod non sat alvum cierent, alternis diebus aqva amara cathartica, alvum probe solvente, iterum sunt discussa. Verum cum oculus ac palpebra nil emendarentur, ossi frontis supra palpebram admota puls e raso raphano rusticano cum aceto vini subacto, ½ horam ibidem relinqvenda; verum ob intolerandum dolorem haud ultra 25 minuta ferri potuit. Omnis tamen inde dolor capitis oculiqve evanuit, superstite nihilominus adhuc palpebræ paralysi, neqve ad sacculos 3. 4ve adhuc hebdomadis usurpatos emendata: visus etiam, ut ante, mansit, licet pupilla constringi jam inciperet. Eapropter qvotidie illitum aliqvoties orbiculari palpebræ musculo ungv. nervinum cum pauxillo ☿e cantharidum admisto, sacculiqve priores continenter admoti. Ex horum usu paralysis palpebræ post aliqvot hebdomades est sublata, ac bulbi motus omnes in partes evasit liber citra vel molestiam vel impedimentum. Verbo: omnia secundum naturam facta. Non est prætereundum, ægro, ubi caput redditum liberum, per complures hebdomades fuisse datum m. & v. ♌ c. c. rectif. a gtt. 40 ad 60 cum ▽a ad bonam perspirationem conservandam ac materiam arthriticam e sangvine eliminandam. Unde etiam podagra mitis octi-

dui ſucceſſit, cujus inſultu finito ægro qvotidie ad horas aliqvot exeundum fuit, oculo interea continuo adhuc velato, uſqve dum ita hic ſenſim convaluit, ut dum ſanus clauderetur, ægro illo objecta ſic ſatis diſcerneret, niſi qvod cuncta ei pallida apparebant. Verum dum ambobus æger oculis objecta intuebatur, nil diſtincte videre qvivit, oculis ita ſe ſe turbantibus; ut objectum intra oculum affectum altius, intra ſanum humilius repræſentaretur. Poſteaqvam vero oculo ſano aliqvamdiu clauſo æger ſolo affecto utebatur, iſte 3. 4ve poſt diebus ita invaluit, ut viſu polleret priſtino. Podagra deinceps ordinate redibat, Væ Ses qve ſtatis iterum temporibus erant repetendæ; ſecus plerumqve molimina cephalalgiæ ſe ſe inſinuabant. Qvi nervi frontalis eique comitis arteriæ hiſce in locis ex orbita egreſſum, diſtributionemqve ſecum reputaverit, utilitatem veſicantium ibidem applicandorum haud difficulter perſpiciet. Sed qvocunqve demum loco illa applicare viſum fuerit, nunqvam non binæ ſimul tenendæ erunt

§. 112.

§. 112.

Cautelæ practicæ, nimirum

a) *Vacuationes* ut aliæ veſicantibus vel præmittantur vel eodem, qvo applicantur, tempore inſtituantur, in primis vero phlebotomiæ, dein catharſes vel emeſes; qvippe qveis curatio & facilior & celerior efficitur. Bina hanc in rem exempla dediſſe ſufſecerit. Narrat FOURNIER (g) ruſticam ad 23 annos natam ante 9. iove menſes labore feſſam in agro altum trium horarum ſomnum cepiſſe, qvo excuſſo tanta aderat cœcitas cum diffuſis immobilibuſqve pupillis ut ne diurnam qvidem lucem perciperet. Poſt innumera necqvicqvam tentata Cl. Vir tandem ſecta brachii vena bihorio poſt emeticum præbuit, ac pone utramqve aurem admovit veſicans. Poſtero mane ægra jam tantillum lucis percepit, veſpereqve ejuſdem diei claritatem ejuſdem jam manifeſte ſenſit. Veſicantium plagæ multum puris dabant. Mane 3tio priſtinus aderat viſus. Porro „ femina, inqvit A. STÖRCK (*h*), ex acu- „ ta febre convaleſcens perfectam amau-

(g) VANDERM. Journ. de Medecine &c. T. 5.
(*h*) Ann. med. 1. Febr. p. 56.

„ rosim in oculo sinistro habuit. In aliqvibus post morbum acutum observavi visum admodum debilem aut leve delirium sine pulsus agitatione, viribus autem increscentibus hæc mala sensim disparuerunt: unde & in hac femina simile qvid futurum speravi; at vero spe deceptus fui. Etenim viribus jam integris amaurosis æqve pertinax mansit. Hinc illico nuchæ iterata vesicantia applicari jussi, & alterno die purgans drasticum exhibui. Qvo factum est, ut spatio 10 dierum ægra utroqve oculo optime objecta viderit, distinxerit. Ægra qvidem per hæc evacuantia vires suas amisit; verum cortex Peruvianus & diæta probe nutriens brevi optimam sanitatem restituerunt „.

b) *Suppuratio* loci a vesicante exulcerati longiori tempore fovenda est, vel certe aliis excitatis ulceribus compensanda. Hujus loci est historia J. D. GOHLII (*i*): „ puella 20 annorum (refert ille), alias rite menstruata, non ita pridem de placenta fervente ante clibanum frustulum comederat, & abhinc de ventriculo ejusqve tur-

(*i*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obs. 25.

„ bato

„ bato appetitu conqvesta est. Qvæsivit „ sibi ipsa remedium ex officina, nempe „ purgans, cujus effectus cum patientem „ frustraretur, superingerit jus prunorum „ cum senna decoctum; sed ne sic qvidem „ laxantem obtinet effectum, seqvitur po- „ tius vomitus. Huic in œconomia ani- „ mali evenienti tumultui supervenit alius „ externus, qvi incendium totius domus, „ in qva mater vidua cum reliqvis suis „ liberis habitat, portendebat, nisi tempe- „ stiva hujus casus facta fuisset medela. „ Et cum maxime valetudinaria hæc puella „ omnem super hanc rem concitatum terro- „ rem in se sustinuerit . . . alto mane su- „ pervenere convulsiones hysterico - epi- „ lepticæ cum tanta vehementia, ut patiens „ extra lectum projecta fuerit . . . Ex pri- „ mo paroxysmo . . . puellam cœcam, ne- „ minem visu discernentem, anxie oppres- „ sam, nec etiam sibi satis constantem in- „ veni . . . Ordinando liq. C. C. succina- „ tum cum ess. Cast.. . . cum reviserem „ ægrotam . . . confitebantur mater & ad- „ stantes, qvod qvidem semel & iterum de „ meis ordinatis guttis dederint, sed paro- „ xysmus semper recruduerit: ubi autem san- „ gvinem catti nigri (ad 9 circ. gtt.) de- „ dere, rediit adhuc semel paroxysmus,

„ ut ſecunda vice 9 guttas denuo dare per-
„ moti fuerint, ſed tunc non rediit amplius.
„ Ita qvidem patiens . . . liberata eſſe vi-
„ debatur, & ad ſenſum redierat, viſum
„ autem amiſerat. Cum oculos accuratius
„ inſpicerem, vera & completa laborabat
„ amauroſi. Nulla intro in pupilla apparebat
„ neqve nebula neqve pellicula, clara po-
„ tius erat, iride expanſa . . . . Veſicato-
„ rium ut iſta ſtatim veſpera . . . . in nu-
„ cha poneretur, curavi, & (mirum dictu!)
„ inſeqvente mane obſcura ſaltem indicia
„ dabat redituri viſus, qvi, qvo magis icho-
„ ris affluxus & effluxus per locum excoria-
„ tum ſeqvebatur, eo magis viſus repara-
„ batur, ita ut hactenus . . . in plenum re-
„ ſtituta optime valeat „. Iisdem etiam, qvas modo de veſicantibus attulimus, cum cautelis applicatur

§. 113.

2. *Lapis cauſticus* aliudve erodens medicamentum ad cutem pone aures exulcerandam. Multum hiſce ulceribus C. WINTRINGHAM (*k*) tribuit „ mihi (inqviens)

(*k*) Notat. & obſerv. in R. MEAD Monita & Præcepta medica ad Sect. I. Cap. 10. p. 156. ſq.

„ in usu fuit, ut locis pone aures maxime „ commodis caustico medicamento inuratur „ cutis, qvod in qvam plurimis oculorum „ morbis insignem usum secum attulisse „ comprobavi; qvippe transit hac via ramus „ arteriæ carotidis ad ipsum oculi globum: „ unde in hujus organi fluxionibus morbi- „ dis, obstructionibus variis, imo & in „ gutta serena, primi ordinis est remedium. „ In his autem apertis servandis cavendum „ est, ne ob nimiam humorum affluentiam „ diu in musculorum interstitiis stagnantem „ fiant sinus, fistulæ, aliaqve similia, nec „ non & inde gangræna in cachecticis, qvæ „ ob musculorum exiguorum cursum intor- „ tum ignaris pharmacopœis & chirurgis „ aliqvando accidisse novi „. Pulchre hæc TRECOURTII (*l*) confirmat observatio de matrona ad 40 annos habente, qvæ cum qvinqvennem nuchæ herpetem frustra variis oppugnatum opera deniqve empyrici retropulisset, post bimestre leucorrhœam, qvovis mense 7. 8. dies affligentem, nacta est. Hacce autem circiter post annum una cum fluxu menstruo cessante incidit pedetentim in amaurosin; cui demum jam septimestri

(*l*) Chirurg. Abhandl. u. Wahrnehm. p. 179. sqq.

cum catameniis a 10 menſibus ſuppreſſis ita medicina fieri cœpta: ſangvis prima die e brachio, altera e pede miſſus, biduo poſt datum catharticum, inde potus aqvæ mineralis ex Paſſi imperatus; tandem veſicans inter ſcapulas affixum, ac pone qvamlibet aurem ulcus lapide cauſtico excitatum. Oculus uterqve ad impreſſionem lucis, ſi qvando vitium opticorum nervorum ſolveretur, arcendam, faſcia obductus eſt. Die ab applicato veſicante 8vo, ab adhibito lapide cauſtico 6tus erat, ægra faſcia, qvæ qvotidie ſub deligatione ulcerum ſolvebatur, ablata videre ſe aliqvid ſenſit; die 9no jam colores etiam parumper diſcernebat; aſt die 10mo eos diſcernere non amplius valens nil niſi denſiſſimam nebulam vidit: eo qvod pridie veſperi inſcio invitoqve Medico per horam variis objectis intuendis oculos fatigaſſet. Sed cautius poſtmodo ſe hac in re gerens priſtinum ſenſim recuperavit viſum. Ulcus nuchæ a veſicante ad ſanationem ductum, relictis per ſemeſtre in fluxu iis, qvæ pone aures erant. Sic ægra ab amauroſi juxta ac herpete liberata eſt: ſæpius tamen catharticum adhuc ſumere, atqve in biennium inde ſemel ut minimum qvotannis venam in pede ſecare juſſa. Qvod ſi vero nec veſicantia nec ulcera cauſtico pone aures

excitata satis efficacia esse observentur, tunc observatis iisdem cautelis (*m*) excitandi erunt

§. 114.

3. *Fonticuli*, qvorum ulcera prioribus longe esse efficaciora solent. Sic J. L. HANNEMANNUS (*n*) „ ad me (refert) „ accessit femina . . . annor. 35 . . . Hæc „ mihi de qvodam miro visus affectu con- „ qvesta: scilicet mane usqve ad horam „ 10 perfecte videre legereqve potest, me- „ qve præsente hora 9na matutina legit. „ Circa 10am visus caligine obducitur, ut „ non qveat legere, sed literæ solito ma- „ jores, ast fractæ, apparent. Anteqvam „ caligo ingruit, cutis in fronte convelli- „ tur. Oculi ipsi semper sicci sunt, nec „ unqvam sordes ex iis effluunt. Multis „ sine successu usa. Optime omnium pro- „ fuit vesicatorium, qvo fluente optime vi- „ dit, recluso autem rediit caligo. Dabam „ ei tragæam ex cortice Winterano, costo, „ cassia caryophyllata, semine fœniculi,

(*m*) Vide §. 112.
(*n*) M.sc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. obs. 117.

„ foliis fennæ, diagrydio, ♀o vitriolato, „ &c. Die 25to ad me rediit, ufumqve „ ♀ris laudavit, optime vidit, qvamdiu illo „ ufa eft, ut legere potuerit fine impedi- „ mento. Qvadam autem interveniente „ triftitia rurfum vifus debilitatus eft. Sva- „ fi fontanellam; qvandoqvidem veficato- „ rium tam proficuum & oppido utile ex- „ perta fuerat „. Idem hic Auctor alibi qvoqve (o) fonticulorum in tollendis vifus vitiis utilitatem perfcripfit, nempe „ Chi- „ liarcha . . . vifus imbecillitate acriqve „ defluxu cum rubedine oculorum laborans, „ cum adverfus hoc malum omnia præfidia „ fruftra experiretur, fontanellam ipfi fva- „ fit Medicus; cui confilio obediens tam „ fingularem fucceffum jam experitur, ut „ & ea, qvæ antehac vix oculo perfpicil- „ lis armato confpiceret, nunc acute fine „ perfpicillis cernat, & qvidem fenex me- „ lius, qvam ante decennium. Chirurgo „ cuidam . . . ante oculos mufcæ & cu- „ lices obverfari videbantur, hicqve fon- „ tanellam facit in brachio finiftro. Hujus „ beneficio vifus naturali claritati reftitutus, „ mufcæqve obvolantes evanuerunt. Alius

(o) Act. med. Hafnienf. Vol. 3. Obf. 12.

„ qvidam puer rustici filius . . . omnimoda
„ oculorum imbecillitate laborans, ita ut
„ lucem ægre ferret, hic primo in nucha
„ habuit fontanellam sine successu; tandem
„ consolidata rursum fontanella in nucha
„ unum in brachio alterum in pede ipsi fe-
„ cerunt fonticulum. Hinc jam optime ha-
„ bet, acute cernit, splendidissimam lucem
„ oculi admittunt „. Perinde S. SCHULTZ (*p*) narrat binas virgines vestales ab inchoata cœcitate, ut nec nere nec literas internoscere jam qvirent, ope fonticulorum, præmissis præmittendis, fuisse prorsus liberatas. Cum autem fonticuli variis corporis in locis excitari soleant vel eodem vel dispari effectu, W. BROMFIELD (*q*) optime eos hocce in morbo, cum primis vero, si is post vim illatam capiti, effusis intra encephalon humoribus, obortus est, super additamento suturæ temporalis excitari observavit, facta secundum totam hujus additamenti longitudinem incisione eidem exacte respondente. Cum enim hæc dictæ suturæ pars plerisqve in craniis diutissime reperiatur pervia, reliqvis suturis sensim abo-

(*p*) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. obs. 156.
(*q*) Chirurg. Wahrnehm. 1. Hauptst. p. 21. sqq.

litis, ſimulqve magnis duræ meningis ſinubus viciniſſima declivem etiam obtineat ſitum, ex omni prope encephali convexitate humores inter cranium duramqve matrem effuſi facillime illuc derivabuntur. Et vero ſi, qvæ de ulceribus pone aures excitandis (r) retulimus, hic in memoriam revocentur, facile qvisqve dabit, iſthos fonticulos eſſe admodum efficaces.

§. 115.

4. *Setacea* autem omnibus hactenus dictis ulceribus in amauroſeos curatione palmam conſenſu omnium præripiunt; modo iisdem cum cautelis, qvas de veſicantibus (s) attulimus, adhibeantur: „ & ſi qvid „ ſperandum auxilii, inqvit F. HOFFMANNUS (t), id ſane a tali remedio in hoc „ affectu longe certius, qvam a veſicatoriis vel fonticulis obtinetur „. Sic A. SPIGELIUS (u) qvi (inqvit) „ ex pluribus, „ præſertim ſibi de induſtria concitatis, ſter-

(r) Vide §. 113.
(s) Vide §. 112.
(t) l. c. thes. therap. §. 2.
(u) De H. C. fabr. L. 7. C. 2. p. 243.

„ nutationibus in cœcitatem derepente lapſi „ ſint... illos qvandoqve ſetaceo curatos „ vidi „. Vidit perinde F. HILDANUS (*x*): „ adoleſcens 14 annos natus, & phleg- „ matici habitus, cum æqvali ſponſionem „ fecit, poſſe ſe ſternutare ad libitum, imo „ etiam centies. Depoſito pignore cœpit „ ex immodica titillatione irritatis naribus „ ſternutare circ. centies & amplius. Exin „ protinus correptus eſt dolore capitis & „ hebetatione viſus, qvi etiam ſeqventi die „ deperditus fuit, citra tamen inflammatio- „ nem oculorum aut febrim ... Decretum „ eſt, ut purgato corpore ſetaceum adhibe- „ retur collo, uti & ſcapulis cucurbitulæ. „ Atqve his uſus revulſionibus viſum pau- „ cos poſt dies recepit „. Refert idem hic Auctor (*y*) aliam qvoqve amauroſin ſetaceo percuratam in matrona, qvæ ex errore victus in puerperio hepatis obſtructione mulctata eſt cum maxima deinceps etiam crurum inflatione. Contra qvod malum cum empyricus non præparato corpore ungventum ☿ le cunctis articulis ac nuchæ intriviſſet, humores tanto impetu ad os ruebant, ut ægra

(*x*) l. c. Cent. 1. Obſ. 24.
(*y*) Ibidem Cent. 5. Obſ. 13.

dies aliqvot vita periclitaretur; totum enim caput, præcipue facies, os, lingva, & gingivæ tantopere tumebant, ut nec verbum ægra proferre, ac vix jusculum sorbere posset. Evasit qvidem, at visum inde ita amisit, nihil ut fere discerneret. Nihilominus ubi post idoneam corporis præparationem, iteratasqve sub diæta ordinata catharses, setaceum nuchæ fuisset applicatum, & præter aqvam ophthalmicam roborantem interne qvoqve vinum nervinum discutiens fuisset usurpatum, ægra ita denuo recepit visum, ut typum æqve ac scripturam legere, ipsaqve etiam scribere prompte posset. Meminit etiam v. RIEDLINUS (z) pueri, qvi oculis sic laborabat, ut aliqvoties eorum usum prorsus fere amiserit; sed applicatum setaceum revocavit visum, qvem postmodo picturæ studium sensim reddidit peracutum non sine omnium admiratione. Perinde J. B. LAMZWEERDII (a) sericarius 40 annor. continuis diu obnoxius distillationibus e subita fluxione repente utriusqve oculi amaurosi correptus, adhibito post catharsin

(z) Curar. med. millenar. No 441.

(a) Ad I. SCULTETI armament. chirurg. Append. Obs. 58. p. m. 633.

& Væ Sem setaceo ad nucham, excitatoqve fonticulo in brachio, & vesicantibus pone aures, cervici, brachioqve sæpius admotis, sub usu simul decocti Gvaj. Sarsap. Chin. cum cephalicis alterati, cum exacta diæta, continuo purgatus, demum convaluit iterum. Neqve minus proficuum est setaceum ad solvendam amaurosin, cui suppressa qvæcunqve consveta sangvinis vacuatio, cum primis mensium aut hæmorrhoidum, occasionem præbuit, si revocato fluxu illa nihilominus supersit. Sic „ A. 1639 M. ROT-
„ HIN... circa 26 suæ ætatis annum ob
„ suppressos menses conqvesta est de utrius-
„ qve oculi... gutta serena... Huic in no-
„ socomium susceptæ circa novilunium ve-
„ nam saphænam dextri pedis incidi, &
„ sangvinis ℥vj educi curavit J. SCULTE-
„ TUS (*b*); deinde pilulas uterino-ce-
„ phalicas

℞. MP. de Castoreo ℈ij
Extract. Cochiar. ℈j
Magist. Gialapp. gr. vj.
▽æ Artemis. q. s. form. pil. No xxj.

„ & vinum medicatum præscripsit... Post
„ catharticorum usum fonticulum femori dex-

(*b*) Armam. Chirurg. Obs. 34.

„ tro 4 digitis ſupra genu inuſſit. Elapſis 4
„ ſeptimanis menſes cœperunt fluere, ſed
„ admodum diminute: qvapropter patienti
„ exhibuit doſin pilularum de ammoniaco
„ correctarum, a qvibus purgatio ſatis evi-
„ denter fuit promota. Circa 3um novilu-
„ nium menſes apparuerunt & fluxerunt,
„ ſed adhuc diminute: qvamobrem patiens
„ repetiit uſum pilularum menſes promo-
„ ventium, a qvibus ad nutum fluxere.
„ Qvarto menſe purgatio juſto tempore &
„ qvantitate reſpondit; nihilominus tamen
„ patiens triſtiſſima inde viſum non recepit.
„ Hinc, qvia antehac in J. D. COMMERE-
„ LII... conjuge, & J. C. EHINGERO ſe-
„ taceum nuchæ inuſtum ad hujusmodi ner-
„ vorum obſtructiones præſtantiſſimum inve-
„ nit, cervici ſetonem applicuit, ulcera-
„ qve per 20 dies aperta detinuit, donec
„ ægra priſtinum viſum lætiſſima receperit.
„ Menſibus rite fluentibus fonticulum in fe-
„ more conſolidavit, & ab eo tempore uſ-
„ qve ad A. 1645 incolumi ſanitate fruita
„ eſt „. Similem qvoqve caſum reperire
eſt apud S. SCHAARSCHMIDTIUM (*c*),

(*c*) Med. u. chir. Nachricht. 3 Jahrgang. No 18. p. 170. ſqq.

nempe ancillæ 30 annis majori, ſangvineo-melancholicæ, laborioſæ, ac ſemper ſanæ, menſes pridie occipientes ob canem prægrandem inopinato ejus in collum inſilientem vehementer exterritæ, & cum pallore ac balbutie trementi continuo ſubſtitere, ſeqvente frontis oculorumqve dolore cum amblyopia per noctem in amauroſin abeunte. Sumpta vero mane inſigni doſi e roob ſambuci, ſuperpotaqve cereviſia calida, poſt elicitum ſub ſtragulis copioſum ſudorem cephalalgia deſiit, ſuperſtite cœcitate; contra qvam uſurpato per aliqvot continuos dies draſtico vegetabili emetico - cathartico lucis aliqvid recepit; ſed admodum inde viribus exhauſtæ deinceps ad utramqve ſuram ac nucham admota cauſticæ cujusdam herbæ contuſæ puls veſicas excitavit copioſo latice refertas, cujus uberiorem proventum eadem puls per 10. 12ve dies renovata eo cum ſucceſſu prolicuit, ut ægra viſum inde, at debiliſſimum, nanciſceretur. Poſtea variis aliis incaſſum tentatis redeunte lunari periodo cum catamenia non reverterentur, capitis dolor cum perfecta amauroſi repetiit, qvam necqvidqvam emetica, cathartica, diaphoretica, ſcarificationes, veſicantia, &c. oppugnarunt. Conqvieſcente demum capitis dolore, nihil in oculis vitii præter pupillam

ſolito ampliorem, atqve ad inſignem lucem pauliſper ac lente ſe contrahentem, erat conſpicuum, nihilqve ægra niſi lucem a tenebris diſcernebat. Ad revocandos itaqve menſes primo octidui die ante inſtantem eorum periodum datum catharticum e pulv. rad. Jalapp. gr. xv. cum arcan. dupl. gr. x qvater alvum blande ſubduxit; poſtero die e pede ſangvinis ℥ viij detractæ: reliqvis 6 diebus qvotidie bis ante meridiem exhibitæ guttæ 50 MRæ e TRæ ♂ii acris & Eſſent. Succini æqvis partibus conflatæ, a meridie hora 3tia ac 6ta datus Pulv. e Pulv. temp. alb. milleped. aa. ℈ß & Sal. vol. C. C. gr. iij. veſperi autem alternis diebus jam pilul. de ſuccino CRAT. No xv. jam pediluvium tepidum uſurpatum, cujus vapor ſimul ad abdomen fotus loco admittendus erat. Ab his etſi pro conſveto alias faciei rubore ac dolore capitis tormina nunc abdominis cum tenſivis ſpinæ dorſi doloribus oborta menſium affuturorum ſpem dabant; tamen nec hi erupere, nec viſus rediit. Igitur, ab elapſo hoc octiduo ad ſeqventem uſqve periodum pro humoribus attenuandis, ſtaſibus in oculis diſſipandis, & ulteriore ab iis avertendo affluxu, præſcriptum ſaturatum decoctum e ligno Gvaj. rad. Scrophulariæ, Valerianæ, ac ſem. Fœnic. qvovis

mane & a meridie hora 5ta ad aliqvot vafcula calide hauriendum, vacando fimul mane leni perfpirationi; vefperi porro unus ℨum antedictorum fumendus, & interdum cum pilulis dictis alternandus. Cibi non admodum eupepti dati, ne in qviefcente nunc ægra, prius laboriofa, plethoram lentosqve humores caufarent: potui conceffum decoctum e C. C. rafo, rad. Scorzoneræ cum paffful. min. vetita omni cerevifia; & motus mufcularis in hypocaufto qvotidie ad aliqvot horas imperatus. His per 3 hebdomades factis interdum qvædam, at non diuturna, vifus indicia fe fe offerebant. Ineunte 4ta hebdomade eadem, ut ante, cura per 6 noviffimos dies ad eliciendos menfes inftituta eofdem debita copia movit, diftinctiore inde vifu reverfo. Tum vero fetaceo nucha trajecta eft, oculiqve bis qvotidie decocto Rorifmarini & fem. Fœnic. in vino rubro foti: interne nihil præter catharticum qvandoqve datum. Vifus ab his in dies acutior factus, & ulcere fetacei 6ta hebdomade confanato ægra prorfus fana ad fervitia redierat. Monet autem Cl. Obfervator, fetaceum fe, qvamvis omnium remediorum adverfus amaurofin efficaciffimum, non ante in ufum vocare voluiffe, qvam fluxum catameniorum revocaffet;

qvod longo ſibi uſu conſtaret, eo prius adhibito, qvam obſtructio ſolennis alias fluxus ſangvinei (præſertim hæmorrhoidum aut menſium) eſſet reſerata, illam tanto contumaciorem inde evadere. Qvæ cautela tironibus alte eſt inculcanda. Efficaciſſima qvoqve ſe ſe præbuere ſetacea in tollenda amauroſi, qvam febres poſt ſe relinqvere conſveverunt. Sic narrante C. CRAMERO (*d*) „ juvenis 24 annor. poſt ſuperatam febrim malignam corripiebatur gutta ſerena „ ita, ut oculo dextro fere nihil diſtingvere valeret, & ſiniſter etiam objecta valde „ obſcure repræſentaret: in oculis nulla „ labes aderat, & aſpectum prorſus ſanum „ oſtendebant ambo. De ſingulari autem, „ & ſibi admodum moleſta ſiccitate oculi, „ præſertim dextri, conqverebatur æger. „ Præmiſſa & aliqvoties repetita purgatione, „ ſetaceum illi per nucham traductum fuit, „ cujus auxilio intra 3 ad 4 hebdomades „ liberatus eſt „. Perinde „ febri maligna jam aliqvot menſibus hic epidemice „ graſſante . . . femina. 30 annor. & puer

---

(*d*) Diſs. de Paralyſ & ſetaceor. adv. eam uſu, §. 40. apud SANDIFORT theſ. diſſert. &c. Vol. 1. No. 7.

„ 13

„ 13 annor. corripiebantur gutta ſerena: „ viſum recuperarunt ſetacei beneficio „ inqvit J. J. WEPFERUS (*e*), qvo „ qva- „ ter guttam ſerenam potiſſimum curatam „ norit „ (*f*). Sed nuſpiam ſetaceorum ad amauroſin e febribus oriundam virtus evidentius ſe ſe probaverat, qvam in epidemia ACRELII, qvam ſuperius (*g*) jam narravimus. In hac cum pleriſqve febris diſcedens amauroſin poſt ſe reliqviſſet nullis remediis expugnandam, tandem cauterium in uno ægrorum tentatum viam reliqvis ad ſalutem aperuit. Nempe dimachæ cuidam octiduum apyreto cœcoqve nucham Cl. Obſervator candente ferro cum inuſſiſſet, eodem ſe momento æger lucem ac ſcintillas videre ajebat; ſed poſtea nihil iterum, ut ante, vidit. Interea 4to poſt operationem die lucem denuo ſentire cœpit, qui effectus tamen 7mo adhuc die nil augebatur. Petenti ægro nova inuſtio facta; a qva 5to poſt die, dum utrumqve ulcus ubertim manaret, viſus increſcere cœpit, ſicqve in dies deinceps emendatus ad priſtinam demum aciem

---

(*e*) l. c. Obſ. 153. p. 740.

(*f*) Ibidem Obſ. 60. p. 175.

(*g*) Vide §. 46.

rediit. Ea propter ſetaceorum in nucha periculum fieri cœptum in iis, qui jam ab 8 ad 14 dies cœci fuerunt. Sub operatione ſinguli, ut dimacha, lucem, imo feneſtras, ſunt conſpicati; ſed poſtmodo rurſum nihil cernebant. Veniebat in mentem, ſi mox, dum viſus evaneſceret, ſetaceum applicari poſſet, duplicatum inde fructum obtentum iri. Idcirco Cl. Vir ſollicite calculum ratione temporum paroxyſticorum in ægris, qveis invaſiones nycthemeri ſpatio vel anticipabant vel poſtponebant, ſubduxit, juſſitqve ſecundum initas has rationes ſumma ope a cuſtodibus ægrorum diu noctuqve omnes eos obſervari, qvi ex ordine decumbentes frigore corripiebantur, num non eorum qviſpiam, cui juxta calculum frigus febrile ingruere deberet, ab eo reperiretur immunis. Hic excitandus illico, percontanduſqve erat, utrum viſu polleret? Primo rei periculo ipſe Cl. Vir capto, binos reperit milites tirones abſqve cortice apyretos, at ſimul cœcos, qveis e veſtigio ſetaceum acu obtuſa cum funiculo e panno xylino carpto confecto trajectum. Cumqve id 11ma noctis hora actum eſſet, 8va matutina viſum ambo utcunqve recepere. Ipſo hoc mane aderat hora invaſionis eqvi-

tis cujuſdam: hic jam hora 7ma uno oculo captus fuit, qvamvis hora paroxyſmi eſſet 9na. Applicato illico ſetaceo poſt bihorium videre iterum cœpit, ac poſt 24 horas viſum plane recepit. Omnes, qvi in paroxyſmi frigore erant, ſecureqve cortice poterant uti, uſum ejus inchoarunt: unde febre ad præſtitutum tempus non revertente cœci perinde, velut qvi cortice non ſunt uſi, reperiebantur; ſed confeſtim admoto ſetaceo intra 2. 3ve dies viſum recuperarunt. Curioſitate deniqve ductus tentavit binis in ægris 6 vel 8 horis ante invaſionis tempus ſetaceum, dato interea qvavis hora ℥ Cort. Peruv. ℈j. Febris emanſit, verum viſus qvædam obſcuratio eſt conſecuta, eodem tamen, qvo in aliis, tempore ſuperata. Menſe Martio A. 1744 bellicus Commiſſarius poſt 5 tantum toleratos 3^{nae} paroxyſmos apyretos, lævoqve oculo cœcus, ſetaceum (etſi efficaciſſimum eſſe ſciret) deprecatus, alia popoſcit præſidia. Data; ſed incaſſum. Poſt menſem ſetaceum admiſit; at non niſi poſt 3 ſeptimanas viſum illius oculi recepit. Tanto etiam tempore ii egebant, qvi per 2. 3. hebdomades principio morbi ſetaceum neglexere. Nihilominus tamen ſunt amauroſes, quæ ne ſetaceo qvidem ſe ſe expu-

gnari patiuntur, qvalis in ZACUTI (*h*) viro fuit, & apparitore J. SCULTETI (*i*), cui post iterata cathartica, & applicata cervici vesicantia, ipsum demum etiam setaceum in nucha nihil opis tulit. Sed hæ fere deploratæ sunt amauroses. Non possum autem hic silentio transire setaceum auriculæ multis olim utile observatum, de qvo v. RIEDLINUS (*k*) „ huc referenda (inqvit)
„ forsan est cura nobilis cujusdam feminæ,
„ qvam illam in variis subjectis feliciter
„ exercuisse amicus qvidam, qvi ipsemet
„ viderat, narravit. Adierat nempe una
„ cum ipso hanc nobilem qvidam, qvi ex
„ læsione oculi a transitione virgultorum
„ usu ejusdem jam per trienninm privatus
„ fuerat. Hunc statim bono animo esse,
„ & ut ligulam a proximo mercatore emeret, jussit: qvo dictis parente, in altera
„ ligulæ parte nodum fecit, & subito subula
„ ipsamet aurem illius lateris, cujus oculus
„ affectus erat, perforavit, hinc ligulam
„ usqve ad nodum trajecit, & simili nodo
„ in altera etiam parte munivit, reliqviis

(*h*) Vide §. 49. d).
(*i*) l. c. Obs. 36.
(*k*) Lin. med. ann. 3. Octob. 18. p. 339. sq.

„ rescissis; hinc & ab omni vino & potu „ calidiore per octiduum abstineret, patienterqve, donec ligula computresceret, „ exspectaret, ei in mandatis dedit, sicqve „ illum dimisit: qvi etiam paulo post visum „ omnino recuperavit, & nobili pro cura „ maximas rependit gratias, qvæ sancte testata est, se plurimis jam hoc modo visum restituisse „.

§. 116.

5. *Ustio cranii* deniqve superest recensenda. Hanc adversus contumacissimas capitis ægritudines jam inde ab HIPPOCRATE ad nostram usqve ætatem a 40 & amplius qva Medicis qva Chirurgis fuisse commendatam fuse ostendit A. HAEN (*l*). Nos ex omni illa dissertatione ea tantum nostra faciemus, qvæ ad amauroseos curationem pertinent. Nempe F. DECKERS (*m*) narrat virginem post varia valetudinis incommoda cœcam demum factam, atqve ubi curata est, denuo recidivam fuisse passam. Inusto autem usqve ad os vertice liberata denuo,

(*l*) Rat. med. P. 6. c. 6. §. 1. p. 239. sqq.
(*m*) Exercit. pract. p. 109.

ubi ulcus conſanabatur, cœca rurſus fiebat; qvod ter accidit, terqve inuſtio eſt inſtituta: ſicqve poſt 3am uſtionem viſum ægra retinuit. Hanc ipſam operationem HAENIUS, auctoritate & experientia tot tantorumqve virorum motus, tentare, ubi omnia alia fruſtra adhibuerat, decrevit, & „ præcipue „ nos, ait (n), miſerebat duorum, qvos „ gutta ſerena ad ☿um, ad Corticem, ad „ machinam electrinam, ad cujuscunqve ge„ neris evacuantia, ad varia capitis epithe„ mata, ad veſicantia, ad ſetacea, &c. omni„ no rebellis & pertinax miſere affligebat. „ Igitur (o) 3tia Junii... operationem feci„ mus in adoleſcente 12 annor. ruſtico, „ robuſto, toto qvadrato, qvem amauro„ ſis affligebat, probabiliter nata ex contuſo „ capite, poſtqvam 6 menſium ſpatio in peri„ odicos vomitus, qvos cephalæa ſemper „ prænunciabat, inciderat. Amauroſis por„ ro ejusmodi erat, ut noctem inter diem„ qve nihil diſtingveret, ſummam tamen „ agilemqve pupillæ utriusqve conſtrictio„ nem & dilatationem ad majus minusve

---

(n) l. c. p. 254.

(o) Ibidem §. 2. p. 255. ſqq.

„ lumen haberet . . . Qvia & ſine integu-
„ mentorum inciſione & cum eadem hæc
„ operatio fit, ultimum modum prætulit D.
„ LEBER; cum eandem didiciſſet, fortuna-
„ toqve applicatam a ſuo Magiſtro dexterri-
„ mo. . . Chirurgo LAUDES vidiſſet, qvi
„ idem magiſter diſcipulos adſtantesqve chi-
„ rurgos ſerio hortatus erat, hanc ſimplici
„ uſtioni ſemper præferrent, metu convul-
„ ſionum, qvas uſtio ſine ſectione genera-
„ re ſtatuebat. Integumentorum hæc ſepa-
„ ratio validum dolorem excitabat, levio-
„ rem pericranii abraſio, maximum vero
„ uſtio, qvam valide urentem ajebat, licet
„ nihil eorum, qvæ circum ſe gerebantur,
„ ſciret. . . . Dolor primis horis magnus, poſt-
„ ea modicus: bonus appetitus, ſemel mo-
„ do levis vomitus, qvi ceterum ipſi con-
„ ſvetus, obſervabatur. Utebatur jure
„ carnium, aqva hordei mellita, & emulſo
„ leviter paregorico. Altero die optime
„ habuit. Die 3tio ſumo aromatico prunis
„ ardentibus injecto, ac capiti admoto ap-
„ paratum examinavimus, lintea carpta ſan-
„ gvine imbuta amovimus, inſperſoqve vul-
„ neri ♃e maſtiches labia ſuis ſingula locis
„ adpoſuimus. Bona hæc, ſed contracta
„ ita, ut inuſtum oſſi locum exacte liberum
„ & nudum ſervarent. Tenaci emplaſtro

„ ea ad ſe jungebamus, omnia deligabamus „ ſicce, ac raro deligandum locum poſtmo- „ dum eſſe CAES. MAGATI conſilio decer- „ nebamus. Nox optima, alvus ab ene- „ mate bona. Die 6to Junii, ſcilicet ab „ operatione 4to pulſus ſanus naturalis; bo- „ nus appetitus, nullus capitis, niſi ab „ ejusdem motitatione, dolor. Hora 8va „ veſpertina ... affirmantem ... palam audi- „ vi, ſe nullibi in toto corpore, imo ne „ in capite qvidem, dolere, ſuumqve „ jus eadem veſpera egregie ſibi ſapu- „ iſſe. Tandem ... pulſum adhuc tetigi „ ſcrupuloſe, eumqve tam bonum inveni, „ qvam unqvam ſanus homo habere poteſt. „ Idem teſtati mihi ſunt medicinæ & chi- „ rurgiæ aſſiſtentes, qvi poſt me pulſum „ examinarunt. Interim viſus emendatio- „ nem obſervare ſe nullam æger conqvere- „ batur ... A media nocte vomere cœpit; „ qvod qvia ipſi familiare, cuſtos neglexit „ primo, verum ronchum in reſpiratione „ advertens Aſſiſtentes noſocomii vocavit, „ qvi morientem viderunt hora 2da prope „ finem diei 4ti. Qvod me nosqve omnes „ nec opinatus caſus perculerit ... nemo „ dubitabit. Nec reticebo, me ſuſpicantem, „ ne forte vomitus violentia in ſyncopen „ lapſus eſſet, curaviſſe, ut pectus ipſi va-

„ lide agitaretur, & bis injecto enemate fu-
„ mi tabaci inteſtina irritarentur. Sed mor-
„ tuus erat. .. Cadaver examinantes nihil
„ mali externo in cranio deteximus: labia
„ qvippe vulneris bona, ſuppurantia, ſe
„ jam cum pericranio unire cœperant in lo-
„ co ab inuſtione remotiore. Olla cranii
„ ablata videbamus cranium adeo leviter
„ igne tactum fuiſſe, ut facta uſti abraſione
„ vix qvid de oſſea periiſſe videretur ſub-
„ ſtantia. Igitur uſtio non erat aut profun-
„ da aut etiam ad uſqve diploen producta,
„ qvemadmodum Auctores jubent, ſed vix
„ tangens, adeoque inſufficiens: attamen
„ ... dura mater inuſtæ plagæ ſubjecta jam
„ ab externa ſui parte, qva os tangit, ſup-
„ purari leviter inceperat; arachnoidea vi-
„ debatur ibidem loci cum pia matre corru-
„ gata; cerebrum autem integerrimum. Ce-
„ terum per univerſum cranium ambæ me-
„ ninges admodum inflammatæ. ... Cranium
„ internum ipſum ad diſtantiam 2 linearum
„ a loco uſto leviter fiſſum fuit.... cum
„ ... adeo tenue & transparens eſſet, ut
„ vix mediam ſolitæ craſſitudinis partem ha-
„ beret. Præter hæc nullum in cranio vi-
„ tium, ne in opticis qvidem nervis, cui
„ guttæ ſerenæ adſcriberemus cauſam. Dum
„ vomitus a ſemianno periodicus fuerat,

„ operæ pretium erat caufas indagare. Ven-
„ triculus ore fuperiore fuo initioqve œfo-
„ phagi folito multo amplior ita fangvine
„ omnibus fuis in vafis turgens, ut hæc in
„ nonnullis locis duarum, in aliis 3 linea-
„ rum diametrum haberent, purpureus ce-
„ terum toto fundo fuo, binisqve in pla-
„ gis tam interne qvam externe gangræno-
„ fus, circa pylorum bonus. Univerfi pul-
„ mones lateribus undiqve, mediaftino,
„ diaphragmati, pericardio, fpinæ dorfi la-
„ teri, jugulo, qvolibet in puncto adeo in-
„ diffolubiliter accreti erant, ut fine alter-
„ utrius deftructione impoffibile effet eosdem
„ folvere, utqve ubiqve, potiffimum vero
„ in toto dextro latere, lacerati pulmonis
„ reliqviæ thoracem inveftirent. Qvemad-
„ modum porro pulmones cum vicinis par-
„ tibus, ita qvoqve mutuis inter fe lobis
„ coalefcebant. Qvod autem maxime mi-
„ rabile, adolefcens nunqvam in noftro no-
„ focomio difficilem aut læfam refpirationem
„ oftendit, neqve hujus qvidpiam matris
„ habuit anamnefis. Unice affirmare poffu-
„ mus, fefqvihora modo ante mortem re-
„ fpirationis pulfusqve vitia apparuiffe. Nec
„ minus mirabilis ventriculi & obftructi &
„ perqvam inflammati & gangrænofi con-
„ templatio, ubi ad mortem fere ufqve nec

„ ſigna febris aut gangrænæ in pulſu, nec „ ſigna doloris in hoc viſcere, nec ſigna „ alicujus in ejusdem functione defectus, „ apparuerunt ... ſed ... futuros prævideo, „ qvi ex integra hac hiſtoria concludant, „ levem hanc uſtionem cauſam mortis neu- „ tiqvam exſtitiſſe, ſed in corpore adeo vi- „ tioſo mortem aliunde duxiſſe originem. „ Hos obſecro, velint ſeqventem perpende- „ re caſum (*p*). Die 4ta Junii cauterium „ eodem modo juvenculæ 20 annor. admo- „ vimus; altera ſcilicet die ab eodem ap- „ plicito adoleſcenti. Hæc Gutta ſerena la- „ boraverat a fine anni 1759 poſt vomitum „ ſpontaneum 14 dierum, poſtqve trime- „ ſtrem defectum catameniorum. Datis „ purgantibus vomitus ceſſaverat, redie- „ rant menſes viſusqve. Toto anno optime „ valuit. Sub finem anni 1760 menſes de- „ ficiunt, vomitus redit, perit viſus. Eo „ in ſtatu noſtrum in noſocomium infertur. „ Video amauroſin, qvæ cum immobili u- „ traqve pupilla inter diem noctemqve, imo „ poſthac de die album inter nigrumqve, „ diſtingveret. ... Cum anno elapſo purgan- „ tibus ſanitatem & viſionem recuperaſſet,

---

(*p*) Ibidem §. 3. p. 264. ſqq.

„ eadem ipsi, sed jam incassum, præscripsi.
„ Cumqve demum purgantibus opio inter-
„ posito vomitum superassem, menses & vi-
„ sus deficere pergebant. Amaurosis jam
„ bis vomitum diuturnum, eumqve violen-
„ tum, vomitus jam bis retardatos inseqve-
„ batur menses: unde in mensium defectum,
„ si non omnis, saltem aliqva causa vomi-
„ tus videretur refundenda. Qvare post-
„ qvam appetitus bonus cessante vomitu redi-
„ isset, methodica ad menses revocandos
„ cura exactissime, eaqve non juvante qvæ-
„ vis empyrica prudenter adhibita fuit.
„ Cum demum nihil juvaret, nisi qvod se-
„ mel iterumqve leve qvoddam initium men-
„ sium videretur conspici; tandem... ma-
„ chinæ tornatilis ad arterias crurales ad-
„ motæ, post aloeticum purgans balneaqve
„ vaporis... auxilium ad tres varias usqve
„ vices adhibui circa id tempus, qvo men-
„ ses, ni turbatus naturæ ordo fuisset, re-
„ dire debuissent. Sed & hoc frustra fuit.
„ Diu demum post menses rediere, sed irre-
„ gulariter semper; vomitus non nisi raro
„ rediit, passim adhuc bonus appetitus, bo-
„ na digestio, egestio commoda, virium
„ torositatisqve incrementum. Ast vero
„ omnia hæc cum perseverante amaurosi,
„ & continuo repetentibus capitis atqve o-

„ culorum doloribus. Videbatur ex hisce „ concludi oportere, qvod visus olim rediisset ad catameniorum restitutionem, qvia „ nec dum qvid notabiliter aut læsi aut impacti obstructiqve in encephalo erat; jam „ vero ex vomituum tum repetitione tum „ diuturnitate vitium topicum in cranio foret, propter qvod gutta serena ad restitutos menses perennasset: qvodqve proinde occasio opportuna adesset, ejus curam „ cauterio tentandi, id qvod tutum, ... „ qvod nunqvam noxium, sæpe vero efficacissimum, hucusqve credideramus. Altera ergo die, ut monui, qva in puero, „ operationem eodem modo in hac puella „ fecimus. Symptomata dolorum ad varias „ operationis partes confuse primo, sedatis „ vero doloribus eodem se percepisse modo, qvo adolescens narraverat, declaravit. Appetitu gaudentem eodem, qvo „ puerum, modo sustentavimus. Prima „ nocte vix dormivit, & dolorem in utroqve cervicis latere conqvesta est; altera „ die melius, 3tia die bene se habuit, excepta febricula, 4ta die pejus. Sangvinem tunc misimus, qvi pessime phlogisticus. Jamqve vox deficere incepit, & „ caput hebes fieri. Igitur inopina morte „ pueri perculsi mortem puellæ tristes qvo-

„ qve prævidimus... Medio die 5to periit, „ cum leviore faciei convulsione. In ex- „ terno cranio omnia ut in bono vulnere. „ Ossa cranii resecta ustionem non modo „ multum non penetrasse, sed crassum hoc „ cranium vix attigisse patebat; parte enim „ adusta abrasa vix de ossis substantia qvid- „ qvam ablatum apparebat. Nihilominus „ sub hoc crasso vixqve ab igne tacto cra- „ nio dura mater suppurata inventa est, ac „ totum sinistrum cerebri hæmisphærium, in „ qvo (ut mox patebit) ustio erat, magna „ copia puris inter utramqve meninga sca- „ tebat. Et, ut in priore, in utroqve ce- „ rebri latere utraqve meninx vehementer „ inflammata erat: aer autem copiosus, „ ubiqve se movens, separatim a sangvine „ in harum membranarum vasis sangvineis, „ potissimum in hemispærio sinistro, miro „ sane spectaculo inventus est. Ventricu- „ lus superior in sinistro latere hydropicus „ 3 plena cochlearia lymphæ gessit; dexter „ solitam copiam. Cerebrum pone locum „ ustionis flavum & solito mollius ac fere „ liqvidum. Notabile autem maxime infun- „ dibulum 1mo maximum fuit 8 vel 9 linea- „ rum diametrum habens, 2do repletum „ fuit materia grisea, qvæ partim pultacea „ partim calcarea fuit, 3tio concretum erat

„ cum pia matre opticos involvente, 4to
„ insidebat, premebatqve ipsum opticorum
„ coalitum, non qvidem ita, ut optici ner-
„ vi post coalitum marcescerent, sed saltem
„ sic, ut videretur illorum actio interturba-
„ ta fuisse, puellaqve cœca fuisse mansura,
„ etiamsi male haud successisset operatio.
„ Pulmones, ut in puero præcedente, ubi-
„ qve, ne minima qvidem plaga excepta,
„ indissolubiliter cum omnibus in thorace
„ partibus, mutuisqve inter se lobis, con-
„ nati erant. Oesophagus & orificium su-
„ perius ventriculi duplo, qvam solent, am-
„ pliores; pylorus tam arctus, ut calamum
„ scriptorium haud admitteret, in crastinam
„ demonstrationem reservatus, hac con-
„ strictione (an spasmo evanido?) caruit.
„ Ex præcedentibus qvippe patuit, spasmos
„ a morte non raro superesse „. Ex his casibus demum HAENIUS seqventia deducit consectaria (q): 1mo ustio levissima binis his in casibus pessimos in encephalo produxit effectus, mortemqve causavit: ergo eo certius hæc a profunda ad diploen usqve ustione (id qvod Auctores ustionem hanc commendantes exigunt) facta conseqvi opor-

(q) Ibidem §. 4. 5. 6. p. 272. sqq.

tebit; 2do Effectus hi pessimi non in aliqvibus tantum, sed in omnibus casibus, certo conseqvi debent; nam crania qvæcunqve sicca, etiam 4 lineas crassa cauterio suspenso tacta ita subjectum urunt digitum, ut non mature subtracti cuticula solvatur, inqve bullas elevetur, id qvod viceni & amplius homines in nosocomio ejus tentarunt. Eodem porro recentibus in craniis experimento capto, iis cauterio vix tactis in interna illorum superficie loca ustioni respondentia flavescebant, bullasqve flavas fœtidas protrudebant, si ustio $\frac{1}{3}$ minuti durabat. His in bullis oleum animale bulliens (cujus calor triplus est aqvæ bullientis) meninges urit, corrugat, albamqve cerebri medullam facit flavam, ut experimenta docuere. Hinc 3tio si uspiam operatio hæc feliciter cessit, necessum est, vel ferrum non sat fuisse candens, a qvo illa mala produci potuissent, vel inflammationem inde natam felici ac rarissimo casu fuisse dein resolutam, vel deniqve cranium cauterio vix fuisse tactum, ac fonticulum tantum in capitis tegumentis fuisse excitatum. 4to Qvi pluries ustionem hanc tentarunt, videntur mala fide infaustos reticuisse casus numero plurimos, felicibus tantum rarissimis agyrtarum in morem narratis. 5to Auctores illi plures qvam 40 non omnes

ope-

operationem ipſi tentaſſe, ſed alius ex alio eam exſcripſiſſe videntur. Proinde 6to Uſtio cranii qvocunqve loco ab iisdem indicato ſemper eſt periculoſiſſima, contra qvam illi aſſeruere: eapropter etiam 7mo e medicina penitus proſcribenda; ut qvæ ſæpiſſime perniciosa ſit, ac vix unqvam proficua, &c. Hæc ille. Ego vero nihil ad hæc, qvod adjiciam, habeo, niſi id unum: uſtionem cranii, qvæ ſine integumentorum inciſione fit, minus HAENIANA illa periculoſam eſſe; id qvod etiam non ita dudum abhinc H. F. DELIUS (r) oſtenderat.

CAPUT VIII.

EXSTIRPATIO OCULI.

117.

EXSTIRPATIO *oculi* affecti deniqve ſupereſt diſpicienda. In prognoſi (s) exempla in medium allata ſunt amauroſeos monoculæ, qvæ ſerius citius in alterum qvoqve oculum ſanum, velut contagione qvadam,

(r) Diſſ. de uſtione cranii in epilepſ.

(s) Vide §. 58. No 4.

commigravit. „ Qvo factum est, inqvit „ s. YVES (t), ut sæpe mihi in mentem ve- „ niret, sanum oculum conservatum iri for- „ tasse, cœco oculo exstirpato; ut ut nun- „ qvam ad id tentandum adjecerim ani- „ mum „. Verum enim vero „ crudele „ consilium! reponit s. SCHAARSCHMIDT „ (u), in qvo multa simul in medio adhuc „ relicta sunt. Nam qværere primum lubet: „ verissimumne sit, ægros, qvi amaurosin „ unius primum oculi cum ophthalmia & „ capitis ex eodem latere dolore nacti sunt, „ eadem in altero qvoqve oculo aliqvanto „ post correptum iri? Demus id, non dum „ licet evictum, & multiplici adhuc expe- „ rientia probandum, qværitur porro: num „ infortunio huic ab internis causis penden- „ ti remediis internis nullatenus obviam ire „ sit integrum? Ac tametsi id fieri neqvi- „ ret, scire percuperem, qvi exstirpatio „ unius oculi prohibeat, qvo minus humo- „ rum congestio ad alterum conseqvi possit? „ Deniqve his omnibus concessis nihilomi- „ nus adhuc percontari luberet, qvot ho- „ minibus s. YVESIUS oculos exstirparit,

(t) l. c. C. 27. §. 12. p. 321.
(u) l. c. No 20. p. 196. sq.

„ vita eorum ſuperſtite? Et num pro hacce cuilibet ſe vadem præſtare qveat? „ Ego qvidem nemini id polliceri vellem: „ qvapropter etiam qværitur: præſtabiliusne „ ſit, utroqve capi oculo, an uni viſum „ conſervare cum vitæ vel jactura vel diſcrimine? „ Et vero „ hæc oculi exſtirpatio ſeu exciſio corneæ cum effluxu vitrei, „ & criſtallini periculo minime caret; & „ vidit bis inde ortam hemicraniam inſanabilem, ſemel vero maniam „ F. B. SAUVAGES (x).

SECTIO III.

DIAETETICUM REGIMEN.

CAPUT I.

ALIMENTA.

§. 118.

ALIMENTA in amauroſeos curatione, cum indole ſua ſpectata, tum ipſis etiam præbiis, qvantum ad felicem ſucceſſum faciant,

(x) l. c. No 6. p. m. 292.

nemo, nisi in amaurosеos historia peregrinus, ignorare potest. Unde e superius data caussarum hunc morbum producentium doctrina liqvido cuilibet apparebit, esse amaurosin, cui omne pene nutrimentum subtrahere oporteat, esse contra aliud ejusdem genus, cui sola corporis nutritio unice medeatur. Nimirum

1. *Inedia*, ubi morbum plenitudo vasorum & humorum versus caput congestio caussavit, haud secius, ac alia qvævis vacuatio universam humorum massam imminuens, indicatur. Hinc etiam „ evellendæ, „ ait F. HOFFMANNUS (y), qvæ contu- „ max est, cœcitati perqvam opportuna „ nonnunqvam est curatio, qvæ per inedi- „ am instituitur. Conducit ea potissimum „ in corporibus impuris, cacochymicis, san- „ gvineqve & succis abundantibus; & re- „ qvirit prægressam, clementem qvidem, sed „ satis efficacem alvi subductionem. Ipsa „ hæc curatio consistit in eo, ut ægri non „ nisi modico panis cocti carnisqve assatæ „ cum passulis vescantur, vinum omnemqve „ cerevisiam fugiant, & decoctum ex sarsa- „ parilla, glycyrrhiza, passulis, semine-

(y) l. c. cautel. pract. §. 4.

„ qve fœniculi bibant: cui pro corporis „ ratione per 3 & ultra hebdomades insisten- „ dum „. Nec abs re; s. FORMII (z) „ juvenis mulier in guttam serenam incide- „ rat, qva ita afflicta fuit, ut cibi abstinen- „ tia sibi mortem inferre decreverit: cum „ tamen maritus & adstantes aliqvid jusculi „ aut vini sorbere per vim cogerent, & il- „ la perexiguum sumeret, omnia, qvan- „ tum poterat, respuendo. In eo statu per „ annum integrum perseveravit, & ad ex- „ tremam maciem perducta est, calore na- „ tivo defectu pabuli humidum substantifi- „ cum depopulante; cum eo vero omnis „ simul corporis humiditas, tum ipsa mate- „ ria guttam serenam efficiens absumpta est: „ & sic ægra visum recuperavit, ac postmo- „ dum sensim victu analeptico refecta est „. Contra ea

2. *Analeptica* vires restaurantia iis con- cedenda erunt, qveis diuturna inedia, ve- nus, aut morbus visum eripuere. „ Fieri solet „ circa morborum solutiones, inqvit AE- „ TIUS (a), aut etiam ubi vires recolli- „ gunt ægri, circa utrumqve oculum aut

(z) Apud L. RIVERIUM Obs. communic. 29na.
(a) Tetrabibl. 2. Serm. 1. Cap. 123. f. m. 254.

„ circa alterum obſcuratio, ut vix videre „ poſſint, velut per caliginem qvamdam, „ & ut aliqvando qvædam ante oculos vi- „ deantur pilis ſimilia; at dum oculi conſi- „ derantur, puri apparent. Rariſſime vero „ in talibus circumſtantiis circulus pupillæ „ aut minor aut amplior reperitur: ipſum „ porro obſcurationis oculorum accidens ut „ plurimum ſeminis in ſomno effuſione præ- „ greſſa juxta morbi ſolutionem aut refecti- „ onem e veſtigio incidit; & eſt ſignum „ debilitatis ſpiritus viſivi ac nervoſæ par- „ tis. Itaqve in perfecta corporis conva- „ leſcentia etiam viſus actio integre reſtitui- „ tur. Qvapropter a localibus auxiliis abſ- „ tinere oportet, & neqve fomenta neqve „ illitiones adhibere, verum refectorii to- „ tius corporis ductus uſu hoc ipſum acci- „ dens corrigere„. GRADUS (*b*) puerum ſibi 13 annor. in cura fuiſſe refert, qvi poſt ſemeſtrem morbum cœcus factus poſt bimeſ- tre viribus reſtauratis viſum recepit. Pari modo monente I. E. GEISLERO (*c*) „ in „ illis ægris, qvi lumen ob ſuccorum de- „ fectum amiſerunt, parum medicina, plu-

---

(*b*) FOREST. l. c. Schol. ad Obſ. 35.
(*c*) l. c. §. 8. p. 19.

„ rimum cibis boni ſucci efficitur, parce „ ſed ſæpius datis; utqve cerebri oculorumqve vaſa cito impleantur, capiti frictione, „ oculo roborante ac leniter ſtimulante fotu „ adhibito „. Id qvod etiam ſuo in ægro BOERNERUS (d) præſtitit.

CAPUT II.

AER.

§. 119.

AER qvoqve hic in conſiderationem ducendus eſt, ac ſagaciter diſpiciendum, ſiccus an humidus, calidusne an frigidus remediorum in & externorum naturam hic æmuletur. In amauroſi a debilitate nervorum oriunda qvantum vel ſolus aer frigidiſſimus (balnei frigidi indolem præ ſe ferens) præſtare qveat, P. J. F. HELMERSHAUSEN (e) eſt edoctus, nempe „ miles annor. 24. „ ſtructuræ & habitus corporis mollioris, ab „ incunabulis optimæ valetudinis, animi „ tranqvilli, & vitæ generis plerumqve ſe-

(d) Vide §. 98. No 2.
(e) Nov. act. nat. cur. Tom. 5. Obſ. 16.

„ dentarii affvetus, repente tremore artu-
„ um & vifus imbecillitate verno tempore
„ corripiebatur, nebulofa & impetuofa tem-
„ peftate exercitia bellica faciens. Ita qvi-
„ dem & femper fubito afficiebatur, ut nun-
„ qvam muneris & obligationis rationem
„ implere poffet: interim tamen momenta-
„ nea qvies faltem affectum iterum fiftebat,
„ tremorem artuum nempe & vifus imbecil-
„ litatem: per reliqvum temporis fpatium
„ exercitiis bellicis vacuum bona gaude-
„ bat valetudine, qvod fe & excretiones
„ regulariter & naturaliter fuccedentes com-
„ probarunt. Centurio ab initio fimulatio-
„ nem fufpicatus vi ad officia præftanda eum
„ coegit; fed paulo poft de vero ftatu præ-
„ ternaturali convictus curæ & obfervatio-
„ ni Medici præfidii militaris tradidit. Pri-
„ mo intuitu nec in oculis nec in toto cor-
„ pore ftatum morbofum potui detegere,
„ nifi qvod pupilla fub levi & aliqvali com-
„ preffione magis fe dilatabat, & mufculi
„ brachii & manus inviti poft factam com-
„ preffionem vel potius contractionem fe fe
„ extendebant, ut vix nummum qvidem,
„ multoqve minus arma in manibus retinere
„ poffet. Succeffu etiam temporis nullum
„ obfervabatur intervallum fub qviete antea
„ accidens. Ceterum de nullo qverebatur

„ ſymptomate, niſi interdum de horripila-
„ tionibus & levioribus qvibusdam inſulti-
„ bus febrilibus, qvorum paroxyſmos mox
„ medicina ſpecifica ſedavit. Integra igitur
„ fruens valetudine, & floridum referens
„ vultum, & ſibi & Reip. erat inutilis ac
„ moleſtus; qvia nec literas vel objecta diſ-
„ cernere, nec ſine lapſu ambulare pote-
„ rat. Ab initio ſuſpicabar malum ex tran-
„ ſpiratione per labores aucta, & ſub tem-
„ peſtate frigida & humida iterum ſuppreſ-
„ ſa, eſſe prognatum, eaqve ex cauſa ner-
„ vos ex congeſtione comprimi: per dia-
„ pnoica igitur fixiora, interpoſitis laxanti-
„ bus, & tranſpirationem reſtituere, ſimul
„ vero & accumulatas partes ſeroſas in inte-
„ rioribus ad partes ignobiliores & exter-
„ nas derivare intendi; ſed ſucceſſus haud
„ reſpondebat intentioni: commotiones fe-
„ briles qvidem, ut antea jamjam dixi, ceſ-
„ ſabant; ſed tremor artuum & viſus imbe-
„ cillitas eodem manebant gradu. Exinde
„ igitur, qvod hæc ſymptomata diverſa ſi-
„ mul & ſemel invaderent, qvod pupilla ni-
„ mis ſe ſe dilataret, & lente contraheret,
„ qvod muſculi extremitatum officium ſuum
„ qvidem præſtarent, ſed ſtatim perpeſſa
„ contractione inviti iterum ſe ſe relaxa-
„ rent, qvod ſubjectum poſt aliqvod tem-

„ pus etiam de vertigine qveréretur, attamen de nullo dolore, colligendum fuit, nervos comprimi non in totum, qvia actio partium affectarum reſtabat, ſed ex parte, ſpeciem ergo adeſſe incipientis guttæ ſerenæ ex nervo optico affecto, & paralyſeos ſpuriæ. Materiam igitur ſubtiliorem in cerebro ſtagnantem & reſolvere & derivare per fortiora remedia, ſimul vero nervos debilitatos corroborare ſuſcepi. Qva ex cauſa, præmiſſa Væ Se iterata, camphorata & ſulphurea conjunctis phlegmagogis & apophlegmatizantibus cum tonicis nervinis internis & externis in auxilium vocavi, & memor diſſertationis ... BÜCHNERI ... de remediis ☿ lib. ſalibus paratis per adjunctum ſulphur ad morbos qvosdam magis accommodandis, ... etiam hæc remedia non inexperta reliqvi; ... at ſpes me fefellit. Aſam fœtidam, MP. de ſuccino CRAT. MR. tonic. STAHLII, decoctum & ℥em Chinæ, ſal ſuccin. volatile, ♂lia ſub varia forma, externe fonticulos, veſicatoria, ungventa rubefacientia & roborantia, ſpecies cephal. Ωum nervinum, incaſſum adhibui cum jactura 3 menſium. Qvod vero remedia efficere haud potuerunt, id frigus & hyems abſolverunt. Notandum

,, tamen eſt, tremorem artuum per remedia
,, modo commemorata evidenter imminutum
,, eſſe, ſed viſus imbecillitatem & nubecu-
,, lam ante oculos, qva impediebatur ſub-
,, jectum, qvo minus objecta & literas diſ-
,, tingvere poſſet, ſemper in eodem ſtatu
,, manſiſſe. Tempeſtas frigida ſub finem
,, menſis Decembris evadens mirum in mo-
,, dum huncce ſtatum convertit, & qvod
,, ☿ ſubl. corroſ. in Ω^{u} frum. dulcificatus ulti-
,, mum oblatus non efficere potuit, id re-
,, pente & omnino præter exſpectationem
,, evenit. Subjectum qvaſi deſperatum &
,, per diuturnam, etſi neceſſariam, & vo-
,, luntariam cuſtodiam melancholicum die fe-
,, ſto Nativitatis CHRISTI templum intro-
,, it ſacrum, in qvo ingens ſentiebatur gelu,
,, & valde miratur, qvo magis frigore affi-
,, citur, eo melius ſe objecta & demum li-
,, teras in hymnario diſtingvere poſſe. Ma-
,, ximo gaudii gradu affectus domum repe-
,, tit, erecto animo juſculum fervens ingur-
,, gitat; ſed eheu! cœcitatem qvaſi plenam
,, ſentit, qvo ſtatu per totum diem triſtis
,, manſit. Altero die templum iterum fre-
,, qventans denuo viſus reſtitutionem expe-
,, ritur, domum reverſus prandium bis co-
,, ctum capit, ex qvo qvidem aliqvalem
,, oculorum debilitatem ſed non hebetudi-

„ nem perſentit. Hypocauſtum ob frigus
„ acre minus calidum non auget affectum;
„ & inde concludit: frigus viſui eſſe ami-
„ cum, id qvod vario modo & iteratis vi-
„ cibus experitur. Experientia igitur edo-
„ ctus, qvoties juſculum calidum vel alios
„ cibos fervidos ſumpſerit, toties reverti
„ affectum, nec non convictus de ratione
„ & effectu frigoris in corpus ſuum, ex hoc
„ tempore fugit hypocauſta calida, ciboſqve
„ ejusdem conditionis, & in præſentiarum
„ qvaſi in ſtatu naturali ratione viſus ſe ſe
„ ſentit. Ego vero ... ex eo tempore vi-
„ num medicatum tonicum ♂le roborans
„ ſecundum præſcriptionem Celeb. WHYTTS
„ ex ſuccis vegetabilibus, cremore ♀ri a-
„ cuatis, in qvibus crocus & limatura ♂ ſol-
„ vitur, & per vinum generoſum virtute
„ exaltatur, qvotidie ad ℥jv vel vj aſſu-
„ mendum, & id cum euphoria, curavi, in-
„ terpoſitis tamen ad humoris pituitoſi præ-
„ parationem & attenuationem, ſimul ve-
„ ro ad præparatæ materiæ electivam expur-
„ gationem, tam reſolventibus cephalicis,
„ qvam purgantibus ſpecificis per nares &
„ alvum: qvod impedit, qvo minus malum
„ recrudeſcat, ac ægrotus, in primis aere
„ ſereno, nec ſpaſmis extremitatum amplius
„ vexetur, nec facultate literas, præcipue

„ prælo expreſſas, & objecta dignoſcendi „ deſtituatur. Radicalem curationem de vi- „ gore naturæ, de tempore, & de thermis „ Lauchſtadienſibus exſpectamus, in ato- „ nia oculorum in primis proficuis „. Hæc Obſervator. Porro etiam alias (*f*) eſt memoratum, eos, qvi ab eſu oryzæ calidæ viſum amittunt, ſola ſæpe cœli permutatione eundem recuperare conſveviſſe.

CAPUT III.

PATHEMATA ANIMI.

§. 120.

PATHEMATA *animi* deniqve ſuperſunt, extremum ac tantummodo fortuitum remedium, velut eſt deſiderium ardentiſſimum, ſpes, gaudium, &c. ad qvorum unum procul dubio referri poterunt ſeqventes caſus. Apud J. S. MENOCHIUM e S. J. (*g*) Abbas Ratisbonenſis ROMUALDUS cœcus ſomnians ſe viſum recepiſſe, expergefactus reapſe vidit. E. HAGENDORNII (*h*) „ mulier

(*f*) Vide §. 35. p. 172. ſq.

(*g*) Nützl. und gelehrte Zeitvertreib. Cent. 2. Cap. 6. p. 25.

(*h*) l. c.

„ qvædam annosa visu per plusculos annos „ orbata adeo, ut ne solis splendorem vel „ leviter agnoscere valeret, ob rem domi „ angustissimam non habebat, qvod curan- „ do vel mitigando huic symptomati ... im- „ penderet. Hinc DEO naturæqve nego- „ tium omne committens continuis preci- „ bus fatigare DEUM non cessavit, ut visum „ ... sibi redderet. Qvid fit? ... dum e le- „ cto surgere aliqvando molitur, en! lu- „ cem diei ... agnoscere, & postero tem- „ pore clarius videre cœpit „. Simillimum casum refert J. C. STOCKIUS (*i*) de vidua 80 annor. qvæ 60mo ætatis anno graviter lapsa fracto utroqve dextri cubiti osse, contusaqve eodem in latere usqve adeo facie, ut oculus prorsus fere pessumierit, cum sanata fuisset, dextri oculi visu plane caruit. Tum 6to inde post anno lævi qvoqve oculi visus in templo repente obscurari cœpit, & post succedens animi deliqvium prorsus exstinctus est, nullo vitio in oculo conspicuo, nulloqve remediorum in 3 menses usu revocabilis. Sepositis ergo ultra 8 annos remediis, tandem 9no anno post ardentissimas sæ-

(*i*) Act. nat. cur. Vol. 4. Obs. 18.

pe ad DEUM preces fuſas repente oculi ſiniſtri viſum recepit. Neqve alio nititur fundamento curatio cœci in templo Tiberini AESCULAPII (ni caſus hic fraudem oleat ſacerdotum), cujus inſcriptionem marmori olim inciſam J. GRUTERUS (*k*) ita perhibet: „ hiſce diebus CAIO cuidam cœco oraculum edidit: veniret ad ſacrum altare, & genua flecteret, a parte dextra veniret ad lævam, & poneret qvinqve digitos ſuper altare, & elevaret manum, & poneret ſuper proprios oculos. Et recte vidit, populo præſente & congratulante „.

(*k*) l. c.



HISTORIA I.

A. CAMERARII (*l*)

Siſtens amauroſin unius oculi ab idolo nigro occipientem, revellentibus nerviniſqve laudatis curatam.

Iuvenis ſtatura brevis, corporis habitu gracilis & macilentus, capillis niger, ante aliqvot annos tertiana noſtra epidemia etiam prehenſus, inde tamen hactenus bene valens atqve diligens, qvippe in multam ſæpe noctem lucubrare (*m*) ſolitus, obſervavit oculo ſuo ſiniſtro (nunqvam dextro) obverſantes muſculas (*n*); ſed eas aliqvamdiu neglexit, qvia pro veris animalculis per aerem volitantibus tamdiu habuit. Tandem vero manibus captaturus talem majuſculam & prehenſurus, oculis qvoqve illam perſeqvens, ſimulqve in vicino pariete qvaſi depingi videns, deceptum ſe ſe hactenus opinio-

(*l*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obſ. 159.
(*m*) Vide §. 39. e).
(*n*) Vide §. 16, b.)

nione ſua agnovit; proin illas ne qvidem amplius curavit, maxime qvod nec doleret inde vel ruberet oculus, nec ullum in legendo ſcribendove detrimentum caperet. Cum vero in ſeptimanam modo qvartam durarent iſta (*o*), ex improviſo inter legendum circa ipſum meridiem miratur muſculam ſuam, qvæ parva prius nihil fere hactenus ipſi faceſſebat moleſtiæ, augeri ſimul & ſemel ad magnitudinem phaſeoli prorſus nigri, circum circa tamen qvaſi nube qvadam cincti clariore, qvo ipſo proin literas multas obvelavit, atqve viſum fere omnem iſti oculo intercepit. Cum & hæc moleſtia duraſſet per 2 ſeptimanas, neqve tamen lumen omne iſti oculo ademiſſet, qvin legere adhuc iſto potuerit utcunque; tandem ſimili veloci modo iterum qvaſi nihil cogitantem invaſit, & ſiniſtrum ipſius oculum occupavit nigredo major atqve tenebricoſitas tanta, ut legere amplius vel perſonam agnoſcere, coloreſve iſto oculo diſcernere non potuerit, lucis modo atqve tenebrarum viciſſitudines valens diſtinguere (*p*). Ita conſtitutus me demum conſuluit, atqve ſuper varias

---

(*o*) Vide §. 10. No. 2.
(*p*) Vide §. 9. No 2. a).

circumstantias qvæsitus seqq. superaddidit, nullam prorsus causam esse sibi cognitam: lucubrationes istas non æqve fuisse nimias, ad horam modo noctis 10am vel 11am, raro ultra, protractas, nihil constare sibi de siccata scabie, nihil de emanente vel suppressa narium hæmorrhagia, de catarrhis nihil. Ebriositatem omni modo declinavit, & contra non excessus saltim sed actus omnes venereos & lascivos solenniter protestatus, victu autem semper usus est laudabili cum reliqvis sodalibus eodem, qvibus tamen nulla unqvam de visus hebetudine qverela fuit. Nunqvam qvidqvam in dextro oculo fuisse observatum, sed mansisse huic pristinam visus aciem; nec ex sinistro lacrymas stillare, nec ullum cujuscunqve morbi alterius indicium sibi notum esse. Hisce ita perceptis tandem oculos etiam inspexi ipsos, & deprehendi, nullum prorsus in affecto sinistro comparere vitium, nisi qvod pupilla ejusdem altera dextri oculi sit paulo amplior (q); de reliqvo utrumqve eadem exhibere phænomena, dilatari in tenebris, stringi ad lucem (r), ferre intuentis imaginem. Ante

(q) Vide §. 17. a).
(r) Ibidem b).

omnia igitur diætam ordinavi, lucubrationibus omnibus interdixi, ad diem proximum Pulv. digeſtivos dedi ex cinnab. nativ. præpar. cum Nitr. puriſſ. cryſtall. præp. ſem. fœniculi & rad. Valerianæ. Deinde potiunculam laxantem ſcripſi ex rhabarbaro & ſennæ foliis in aqva coctis cum manna (*s*). Abhinc curavi veſicatoria in utroqve brachio poni (*t*), valerianæ radicem cum fragmento ſuccini in dorſo ſuſpenſam geſtari, mane ſemen fœniculi maſticari, ejusdemqve decocti calentis vaporem oculis excipi; interne vero uſurpari Pulv. ex rad. Valerianæ (*u*), herb. Euphraſiæ (*x*), ſem. fœnicul. ſuccino præpar. cryſtall. præpar. matr. perl. præpar. non ſine Nitr. puriſſ. cum infuſo theiformi ex herb. euphraſ. cum flor. beton. meliſſ. acetoſella, ſalvia, flor. conſolid. regal. cichor. paralyſ. cyani, & pilulis, ſumendis noctibus alternis, extr. bezoard. chaqverill. helenii, pœoniæ, valerianæ, ligni aloes, caſtorei, rutæ, cum cinnab. nativ. præpar. &c. Poſt dies 14 lætus rediit, & nunciavit

(*s*) Vide §. 68.
(*t*) Vide §. 111. ſq.
(*u*) Vide §. 86.
(*x*) Vide §. 80.

recuperatam oculo videndi facultatem, non dum qvidem diuturnam adeo & constantem, sed matutinam modo, dum evigilans per horam unam, alias plures, semel ad prandium usqve, videt iterum distincte omnia, ita tamen, ut & sinistro illi oculo obversetur adhuc desuper qvasi suspensa nubes exigua, & occluso dextro eidem tenuis videatur obversari nebula vel araneæ tela. Reliqvum diei non dum qvidem de hac visus claritate participare, neqve tamen pristinam caliginem superesse. Qvandoqvidem vero proficiscendum ipsi erat... hinc ante discessum ejus dedi modo unicam pilularum laxantium dosin ex aloe præpar. cum magist. Jalapp. & extr. panchymag. non sine accessu extr. Valerian. insuper vesicatorium jam nuchæ imponendum svasi, pulveris vero nuperi atqve pilularum reiterationem, ac reliqvorum euporistorum continuationem commendavi, dato simul naribus leni errhino (y) ex herb. majoran. flor. lil. conv. semin. nigell. & elæosacch. errhino; sub qvorum usu tandem penitus convaluit, & pristinam visus integritatem recuperavit.

(y) Vide §. 101.

HISTORIA II.

FR. HOFFMANNI (z)

Exhibens amaurosin subitam ex ira & neglecta scarificatione ortam, qvam scarificatio in primis, dein vero alia efficacia etiam remedia, sustulere.

Studiosus 37 annor. temperamenti sangvineo-melancholici a teneris se prorsus studiis dedit, lucubrationibus admodum indulsit, maxime cum ante biennium erudiendis liberis operam navaret. Namqve tum ad seram usqve noctem protraxit meditabundos labores; hora 4ta matutina iterum surrexit, ad prandium usqve jejunus mansit, aut saltem vini adusti haustum assumpsit, & sub epulis parco potu usus alvum semper habuit segnem. Hoc vitæ genere per annum cum dimidio continuato accidit, ut dum gravi aliqvando percelleretur iracundia, primum capitis dolores ac sensum formicationis in fronte, & tum subitaneam incidit cœcitatem cum gravi auditu, sermone præpedito, ac tensivis brachii dextri pedisqve tormen-

(z) Consult. & resp. med Cent. I. Cas. 42.

tis (*a*). Adhibita protinus ſunt pediluvia, & vena in ſiniſtro pede ſecta, qvæ non minus ac ea, qvæ elapſis poſt binis hebdomadibus in brachio ſiniſtro tundebatur, nullum fudit cruorem. Hinc ſcarificatio, cui olim aſſveverat, per biennium vero ſuperſederat (*b*), in nucha ac vertigine capitis inſtituebatur; & alvi obſtructio clyſtere emolliente oppugnabatur. Tum viſus qvædam rediit potentia, qva ſub accenſam lucem melius, qvam lunæ ſplendorem, videre valuit; legere tamen non dum poteſt, ac nubeculas adhuc ante oculos verſari aſſerit. Ego in conſilium vocatus primum ordinavi hunc 🜍em:

℞. Cinnab. nativ. præp.
Lapid. 69.
Succini præp. aa. ℨij
Sal. volat ſuccini
Sal. C.C. aa. gr. x. M. f. 🜍. S. ad ℨj

pro doſi ſumendus. Deinceps commendavi has pilulas:

℞. ☿ dulc.
MP. noſtrar. aa. ℈j.
Extr. panchym. CROLL. ℈ſ
—— Caſtorei gr. jv. M. F. pil.

(*a*) Vide §§. 19. 25 26.
(*b*) Vide §§. 37. e) 91. 95. c).

ex ſcrupulo 20. Harum nimirum pilularum 20 tribus ſucceſſive diebus mane ſumpſit. Tum per 5 dies mane pariter ac veſperi δem adhibuit; poſtea iterum pilulas per 3 dies, & demum δes cepit, & ſic alternavit. Porro hoc decoctum dedi:

℞. Rad. Valerianæ ℥j
Herb. Meliſſæ M. j
Sem. Fœnic. ʒij. Conc. cont. D.

S. Species inſtar The bois uſurpandæ. Hujus enim vaporem mane oculis admittere, & poſt ſumpta medicamina commendata 8 vel 10 vaſcula ſorbillare debuit. Non minus exhibui balſamum meum vitæ, ut illum & naribus admoveret, & eodem tempora inungat, & tandem 8 illius guttas mane ex allegato infuſo hauriat. Deniqve etiam qvotidie in pediluvia ex furfuribus tritici & floribus Chamæmeli pedes ad ſuras uſqve immiſit. Et his per aliqvot hebdomades rite adhibitis viſus perfectam recuperavit potentiam.



HISTORIA III.

L. HEISTERI (c)

Siſtit amauroſin ab idolis nigris, e fletu multo & crebro monetarum fulgentium aſpectu ortum trahentibus, occipientem, nec non medendi methodum HEISTERIANAM.

Monetarii uxor ſex ſupra triginta annos nata poſt mœrorem multo cum fletu, crebrumqve nitentis argenti ac fulgentis monetæ aſpectum (*d*) ab aliqvot hebdomadis varias maculas nigras, atrosqve interdum annulos catenæ in modum ſibi innexos (*e*), præ oculis obſervare cœpit, videbanturqve hæc ab intuitu monetarum ulteriore ingraveſcere. Prognoſi aliorum Medicorum malum in amauroſin abiturum pronunciantium exterrita, oculisqve ſuis metuens, meum finiente Auguſto A. 1712 imploravit auxilium. In oculis claris ac pellucidis cum nullum conſpicuum eſſet vitium, ægram bono

(*c*) Med chir. u. anat. Wahrnehm. 1 Band No 128.
(*d*) Vide §. 30. e).
(*e*) Vide §. 16. b).

esse animo jussi, imperaviqve 1) a metu & sollicitudine sibi temperaret, abstineretqve; qvod ita humores pravi uberius ad oculos allecti vasa eorum infarciendo maculas illas augeant: 2) aspect[illegible] nitentis argenti monetæqve refulgentis, qvoad ejus fieri possit, vitaret, vel si vivendi necessitas id exigat fieri, perspicillis viridibus, objecta non augentibus, oculos eo tempore muniret: 3) solem, flammam, aliaqve fulgentia objecta, perinde candidiorem supellectilem lineam non multum intueretur, hyberno etiam tempore nivis, a sole præsertim illustratæ, aspectum fugeret; ac si per eam sibi iter faciundum foret, semper alteram in partem ab sole nón illustratam oculos converteret. Porro consului 1) phlebotomiam in pede ad ℥viij. x. 2) Pilulas catharticas scopo revulsionis a capite oculisqve:

℞. Extr. panchym. CROLL.
☿ dulc. aa. ℈ij
Resin. Jalapp. subact. ℈j.
Essent. lign. sassafr. q. s. F. pil.

gr. j. consperg. specif. cephal. MICH. sumat alternis diebus cubitum itura pro dosi No xiij, vel etiam xv aut plures pro re nata, si non sat purgaretur a minore dosi. 3) Mane qvovis, ac dein sæpius interdiu, oculos

aqva frigida recenti probe colluat (*f*). 4) Infuſum ophthalmicum ſangvinem attenuans præſcripſi :

℞. Herb. Beton.
—— Euphraſ. aa M. j.
Raſ. lign. Saſſafr. ℥ß.
Sem. Fœnicul. ʒij. M. conciſ. cr. m. D. ad ſcatul. Qvotidie mane & a meridie hora 4ta, qvantum 4 digitis capitur, in ollam theatam injiciat, ac fervidam aqvam affundat, hujusqve infuſi qvavis vice vaſcula 5. 6. inſtar theati potus, at non admodum fervide, cum ſaccharo hauriat. Et qvoniam aqvæ frigidæ non multum tribuens ægra collyrium qvoqve rogabat, præſcripſi:

℞. ▽^{æ} fl. Cyani
——— Roſar. aa. ℥jv.
Nitr. puriſſ. ℈j. M. Hac aqva ſæpius per diem, alternando cum ▽^{a} pura frigida, oculos frigide humectaret vel ablueret, ſvaſi. Spectata deniqve diæta monui, frugaliter veſceretur, vitaret cibos copioſos, præcipue concoctu difficiles, ut ſuillam, ſicca piſa, phaſeolos, &c. vino parce uteretur, pro potu conſveto hauriret vel tenuem cereviſiam vel aqvam pauxillo vini miſtam. In-

---

(*f*) Vide §. 103. A. No 7.

de aliqvo post tempore maculæ imminutæ sunt visu bono superstite.

Conf. ibid. casus analogi No 134. 400. 449. Et 2 Band No 206. 343 335.

HISTORIA IV.

EJUSDEM (g).

Casus priori utcunqve per omnia fere similis.

Consiliarius qvidam 50 annis major, plurimumqve scribendo ac legendo occupatus, ante 6 fere hebdomades, dum interdiu legeret, observavit ante oculum dextrum (*h*) velut filum atrum serici aut lanæ ultro citroqve motitari; qvod phænomenon neglectum cum sponte, ut sperabatur, non desiisset, neqve postea seu catharsi, seu sacculis discutientibus, seu vino Gallico subtiliter oculo illito, seu vino adusto Rhenano palpebræ applicato, seu deniqve selteranæ aqvæ potui cedere volet, opem meam poposcit. Lævo oculo clauso dexter vicina objecta sic satis acriter videbat, remota vero non per-

(g) Ibidem 1 Band No 196.
(*h*) Vide §. 16. b).

inde. Porro jam finifter qvoqve oculus interdum, præprimis ad multam fcriptionem, dolebat. Data prognofi: malum hoc fuperatu arduum fæpe effe, præfcripfi (omiffa Væ Se & catharfi, qvippe qvas jam ante inftituit)

℞. Herb. Euphraf. M. ij
Flor. Rofmar.
—— Salviæ
—— Cyani aa. p. j.
Raf. lign. faffafr. ℥j.
Sem. Fœnicul. ℥ß. M. concif. gr. m. D. fpec. pro Thee bis per diem hauriendo.

℞. Milleped. præp.
Sem. Fœnicul.
—— Anifi aa ℥j.
Cinnamom. ℥ß.
☿ dulc. ʒj.
Sacch. alb. ℥iijß
°° deftill. Fœnicul. gtt. vj.
— —— Anifi gtt. iij. M. F. ♁. Sumat mane, a meridie, & ante fomnum 2 cufp. cultri ex infufo vel ▽a Fœniculi.

Porro collyrium:

℞. ▽æ Valerian.
Fœnicul. aa ℥iij.
Fl. Cyani ℥ij.
Reg. Hung. opt. ℥j.

Sal vol. oleof. SYLV. ℨj. M. Utatur ſæpius per diem. Imperata præterea pediluvia veſpertina, crebra pedum frictio, & ſedula capitis pectinatio, ac deniqve umbraculi ad lumen uſus, vetita lectione veſpertina characteris minutioris. His remediis, præſertim Pulv. iterato, æger prorſus convaluit.

HISTORIA V.

EJUSDEM (*i*).

Incipiens amauroſis ab amblyopia methodo Auctoris prorſus curata ſiſtitur.

Servus 37 annorum ab aliqvo tempore ita ſibi viſum imminui, citra ullum in oculis vitium apparens, qverebatur, ut jam eminus nihil diſtingveret, ſibiqve ita videri ajebat, qvaſi trans peplum objecta intuereetur (*k*). Nauſeas ſimul ſtomachi ſæpe experiebatur. Idcirco 29na Apr. 1729 præſcripſi:

℞. Rad. Ypecac. gr. xxv.
♀ vitriolat. gr. x. M. F. Pulv. ma-

(*i*) Ibidem 2. Band. No 75.
(*k*) Vide §. 16. a).

ne ex hauſtu calido ſub idoneo regimine ſumendus (*l*).

℞. Herb. Euphraſ. M. j.
—— Hyſſopi M. ß.
Raſ. lign. Saſſafr. ℥vj. Conc. gr. m. D. pro infuſo bis per diem hauriendo.

℞. Trag. ophthalm. n. ℥jv. cujus mane, a meridie, ac veſperi ſumat ad 3 cuſpides cultri. (Eſt vero tragea hæc Pulv. præcedentis hiſtoriæ, niſi qvod pro ☿ dulci ſuffecta ſit Rad. Valerian. min. cum Cubebis, omiſſis oleis). Porro

℞. ▽æ Valerian.
Fœnicul. aa. ℥iij.
Reg. Hung. ℨiij.
Sal vol. oleoſ. ℨj. M. D. pro oculis ter de die hac ▽a illinendis. Tum inter ſcapulas veſicans amplum appoſitum; ac Majo menſe phlebotomia imperata. Die 19na Maji nunciavit æger, ſe ab his remediis plane ſanatum eſſe.

(*l*) Vide §. 63. ſq.

HISTORIA. VI.

EJUSDEM (m).

Exhibet amaurosin perfectam, nullis, efficacissimis licet adhibitis, remediis medicabilem.

Textoris filius undeviginti annos natus, pallidus, & catarrhis obnoxius, a 4 hebdomadis post vehementem capitis dolorem ac rheumata amaurosi correptus, cum opem expeteret, dedi:

℞. Extr. panchym. CROLL.
☿ dul. rit. ppt. aa. ʒjß
Resin. Jalapp. opt. trit. gr. 45.
M. c. ess. lign. F. pil. gr. j. Sumat 4to qvovis die sub noctem No 15 ad 20.

℞. Herb. Euphras. M. j.
—— Roris mar. M. ß.
Rad Valerian.
Sem. Fœnicul. aa. ℥ß. M. concis. cont. cr. m. D. pro infuso mane & a meridie hora 4ta ad modum potus theati ad vascula 4. 5. hauriendo.

(m) l. c 1 Band. No 459.

℞. Eſſ. lign.

Eſſ. ſuccin. aa. ʒiij. M. D. ad gtt. 40 cum infuſo priore ſemper ſumendas.

℞. Lap. 69 citrat. ℥j

♁ diaphoret. ℥ß.

☿ dulc. ℈ij. M. ſumat qvovis veſpere, qvo pilulæ catharticæ non ſumuntur, ad cuſpidem cultri ex ▽a fœniculi.

℞. Pulv. Majoran. ʒiij.

Schœnanth.

Cubebar. aa. ʒß

Turbeth. mineral. ℈j. M. D. m. & v. pauxillum naribus attrahendum.

℞. ▽æ Valerian.

Fœnicul. aa. ℥ij.

Reg. Hung. ℥ß

Sal vol. ol. SYLV. ʒj. M. F. Collyrium, qvo oculi qvavis 3tia hora diei abluantur & humectentur. Porro veſicantia nuchæ primum, dein pone aures, ac demum ad caput applicari juſſi. Ubi hæc aliqvamdiu fruſtra æger uſurpaſſet, tandem ſetaceum qvoqve ad nucham adhibitum eſt, ſed perinde ſine ullo ſucceſſu.

Confer. ibid. obſervationes 2 Band. Nro 60. 64. in qveis eadem methodus adverſus imperfectam amauroſin felicius ceſſit.

HI-

HISTORIA VII.

J. L. SCHMUCKERI (n),

In qva exhibetur amauroseos post febrem petechialem secutæ exemplum, qvam SCHMUCKERIANA *medendi methodus prorsus curavit.*

Miles e petechiali febre decumbens 13 dies continenter deliravit. Idoneis remediis, præsertim vero 4 vesicantibus, adhibitis, ubi melius habere cœpit, amblyopiam gravem nactus est. Spes erat fore, ut viribus increscentibus visus qvoqve acies revertatur: contra vero hæc iisdem peribat gradibus, qvibus illæ crescebant, ægerqve post octiduum nihil prope vidit, cum pupilla admodum ampla, & ad omnem frictionem immobili (o). Ceteroqvin dolor nullus, nullus aurium susurrus simul adfuit. Postero mane data ♀ emet. gr. jv cum saccharo (p) 4 aut 5 insignes vomitus plurimi muci lenti

(n) Chir. Wahrnehm. 1 Th. 43 Beobacht. p. 474. sqq.

(o) Vide §. 17. a) b).

(p) Vide §. 65.

bilioſi moverunt. Tum amplum nuchæ veſicans, aliaqve pone ambas aures (q), admota, rurſusqve die inſeqvente ac 3tio ☿ emet. gr. ij. pro doſi exhibita, pro eo ac par erat, vacuarunt. Unde die 4to jam viſus aliqvatenus redibat, pupilla qvoqve motum recuperante; ſed æger objecta haud dum rite diſcernebat. Veſicantium loca ope ungventi baſilic. cum pulv. cantharidum per 3 hebdomades in fluxu retenta (r), ſimulqve exhibitæ pilulæ (s)

℞. Gumm. Ammoniac.
Sapon. Venet. aa. ℥j.
℥ Milleped. ℨij.
Reſin. Jalapp. gr. xvj
Rob. Junip. q. ſ. F. pilul. gr. jß.

S. ter de die No xij. Poſt qvatridui uſum & pupilla contrahebatur promptius, & colores jam æger melius diſcernebat; dux tamen eidem adhuc opus fuerat. Idcirco qvotidie mane jejuno ſtomacho millepedes (t) 60 contritæ in juris inſulſi omniqve pingvi orbati binis vaſculis, ſuper prunis vaſe clauſo coctæ & colatæ, dari cœptæ; a meridie vero

(q) Vide §. 111.
(r) Vide §. 112. b)
(s) Conf. §. 65.
(t) Vide §. 82.

ac vesperi semper xij pilulæ superiores Extrinsecus porro Ωu Lavend. cum Ω ⊖* vol. ad æqvum pondus mistis manus humectatæ oculis admovendæ ac palpebræ superiores illinendæ erant (u). Post 4 hebdomades æger plane convaluit. Vix octiduo millepedes cum jure dabantur, cum sedimentum urina poneret, toto morbi prioris tempore nunqvam visum.

HISTORIA VIII.

EJUSDEM (x)

Sistens perfectam utriusqve oculi amaurosin, ab arthritide retropulsa ortam, eademqve medendi ratione profligatam.

Vir 52 annorum arthriticis doloribus sæpe obnoxius, ante biennium denuo tam vehementi id genus paroxysmo dextra in axilla prehensus, ut non modo plures noctes insomnes transigeret, sed vehementer etiam febricitaret, ex amici consilio cum ad locum dolentem splenia aqva frigida imbuta

(u) Vide §. 103 B. No 3.

(x) Vermischte chir. Schrift, 2 B. No 1. p. 19.

applicuiſſet, vix qvartum iterato remedio dolores evanuere; at æger poſt 12 horas utriusqve oculi viſum uſqve adeo amiſit (*y*), ut lucem nullatenus ſentiret (*z*). Pupillæ cum diffuſæ magnopere tum etiam immobiles (*a*) erant. Eapropter locum ante dolentem illico ſetaceo perfricari juſſi, veſicansqve applicui, ac ♀ri emet. gr. iij præbui, qvæ vomitum copioſum cauſarunt. Poſtero die æger jam aliqvid lucis percepit, pupilla qvoqve parumper facta mobili. Veſicanti, qvod probe vires exſeruit, dempto novum ſuffectum, ac ad palmum abhinc diſtante loco 3ᵘᵐ, ſtimuli majoris ergo, admotum. Interno uſui data MRª ex ▽æ aurantior. ℥jv cum ♀ri emet. gr. jv, cujus illico dimidium hauriendum erat, ac ſemel inde oborto vomitu, e reliqvo ejusdem qvavis hora cochl. j capere juſſus, ſepties adhuc eodem die vomuit. Veſperi melius jam vidit, qvin tamen vel hilum adhuc diſtingvere valeret. Veſicantium demptorum plagæ ungvento baſiliconis cum pulv. Cantharidum deligabantur (*b*). Mane 3ᵗⁱᵒ æger me jam

(*y*) Vide §. 38 d).
(*z*) Vide §. 9. No 1.
(*a*) Vide §. 7. a) b).
(*b*) Vide §. 112. b).

ſic ſatis dignovit. Dedi rurſus ☐ri emet. gr. ij in ▽æ ℥ vj ſoluta, ut horis alternis cochl. j caperet: unde unicus tantum vomitus, multæ contra nauſeæ obortæ. Pupillæ mobilitas notabilisqve contractio rediit. Inſeqventibus diebus pilulæ (*c*) ac millepedes methodo ſuperius (*d*) dicta exhiberi cœptæ; poſtremoqve tempore etiam Ωus ophthalmici (*e*) vapor manuum ope ad oculos admittebatur. Sicqve æger intra 9 hebdomades priſtinum recuperavit viſum.

HISTORIA. IX.

EJUSDEM (*f*)

Exhibet anni unius amauroſin eadem methodo percuratam.

Eqves legionis BELLINGIANÆ ultra annum utriusqve oculi amauroſin paſſus, dextro, cujus pupilla ſummopere diffuſa fuit, & ad omnem frictionem immobilis,

---

(*c*) Vide §. 65.
(*d*) Vide §. 82. & hiſt. præced.
(*e*) Vide §. 103. B. No 3.
(*f*) l. c. p 22. ſqq.

cernebat nihil; lævi porro oculi pupilla etſi perinde admodum ampla eſſet, ad frictionem tamen haud dum prorſus immota manſit. Præmiſſa igitur leni catharſi (g) dedi M℞am e ♀ri emet. gr. x in ▽æ aurant. ℥xij ſolutis, qvovis primi bidui mane ter ad cochl. ij ſumendam, unde ſæpius vomuit: dein toto 3tio die variis ex intervallis, cochl. jv ſemper capiebat, citra ullum vomitum, ſed nauſeis continenter durantibus (h), niſi qvod 3 hebdomades ita pergendo alvus qvotidie aliqvoties inde ſolveretur. Eodem tempore amplum nuchæ veſicans admotum, ac 16 dies in fluxu conſervatum (i), qvo ſanato alia pone ambas aures applicata, & in 3 periude hebdomades in fluxu ſervata (k). Inde ambæ pupillæ factæ mobiles, minusqve qvam ante diffuſæ ſpem integræ ſanationis dedere. Idcirco qvotidie ter pilulæ reſolventes (l) datæ, externe vero Ωus ophthalmicus (m) adhibitus,

---

(g) Vide §. 68.
(h) Vide §. 66 No 3.
(i) Vide §. 112. b).
(k) Ibidem.
(l) Vide §. 65.
(m) Vide §. 103. B. No 3.

eo cum ſucceſſu, ut viſus in dies emendaretur, uſqve dum poſt 5 menſes ad priſtinam rediiſſet integritatem. Homo poſtmodo civilibus negotiis admotus eſt, ubi calamo calculisqve diſtinebatur, oculis nihil moleſtiarum faceſſentibus.

Confer. Hiſtoriæ §. 66. No 2 & 5. ejusdem cum iſthic narratis tenoris.

HISTORIA X.

G. de VEZA Fac. Med. Budenſ. Directoris,

Siſtens juvenem amauroticum STÖRCKII *&* COLLINI *remediis qvoad unum oculum ſic ſatis percuratum.*

Juvenis ad 20 annos natus rei annonariæ caſtrenſis auriga e febre (ut videbatur putrida) plures dies neglecta (*n*) perfectam utriusqve oculi amauroſin retulit. Die 25 April. 1779 in militare noſocomium Budenſe illatus debilis adhuc erat, oculis nil vitii præter amplitudinem ac immobilitatem pupillarum exhibentibus. Poſt varia exter-

(*n*) Vide §. 46.

na ophthalmica necqvidqvam ab chirurgo tentata demum in curam D. G. de VEZA cessit. Datum primum omnium catharticum (*o*):

℞. MP. RUF. gr. xxv.
☿rii dulc. gr. vij.
Magist. Jalapp. pin. sub. gr. jv.
M. F. pil. pro dosi sumendæ. Resumptis postea viribus rursus purgatus est:

℞. ♁ Jalapp. ʒß
Arcan. dupl. gr. xv. M. F. ♁ D.
pro dosi. Demum die 18va Junii seqventia dari cœpta:

℞. Extr. Pulsatill. nigric. ℥ß (*p*)
—— Aconiti ʒj (*q*)
Aqvilæ albæ ℈j (*r*). M. F. pil.
gr. iij. S. m. & v. No 5 superbibendo calidum semper decoctum, qvo pro potu communi utebatur, nempe

℞. Herb. Arnicæ M. iij.
Flor. Arnicæ M. ij. (*s*)
Rad. Lapat. acut.
—— Bardan. aa. ℥j.

(*o*) Vide §. 68.
(*p*) Vide §. 84.
(*q*) Vide §. 78.
(*r*) Vide §. 73.
(*s*) Vide §. 79.

Rad. Liqvirit. ℥ vj. M. concis. D. pro potu methodo nosocomii parando. Horum sub usu 10mo qvoqve die interponebatur catharticum posteriore loco dictum. Post 14 dies lucis aliqvid jam oculo dextro usurpavit, & lapso mense vestium qvoqve colores vividiores discernebat, visu in dies hujus oculi nova incrementa capiente. Post sesqvi mensem aucta pilularum dosi, sumptis nempe mane ac vesperi Nro 7, visus oculo dextro sensim ita rediit, ut æger sine duce jam domi forisqve oberraret. Die tandem 20ma Aug. celebrata revisione militari, cum ad servitia suis cum sociis haud amplius esset necessarius, nosocomio militiaqve dimissus est. Dextro oculo tam insignem emendationem experto sinister nihil pene ab remediis iisdem profecit; qvippe qvo nil nisi confusam lucem ac veluti per velum transparentem se percipere æger ajebat, pupilla qvoqve ejusdem vix qvidqvam mobilitatis adepta (*t*).

(*t*) Vide §. 61. No 1. a).

HISTORIA XI.

J. J. WEPFERI (u)

Exhibens amaurosin lente natam, ac variis ulceribus arte excitatis sublatam.

D. JOH. CONRADI N. N. uxor 31 annor. staturæ paulo brevioris, albicans, poculis valde dedita, adeo ut qvotidie fere post meridiem ebria sit (x), venerea, iracunda (y). Die 23 Febr. 1678 dum nebat, nebula oculo dextro obversabatur (z); illam abstergere conabatur, & oculum perfricabat, mox magis magisqve obtenebratus fuit oculus dexter. Die 16 Febr. jam visus in hoc oculo prope periit. Die 1 Martii nihil amplius vidit. Vena secabatur in brachio dextro: die 2 Martii salvatella manus sinistræ. Tum qvoqve sinister obtenebrari cœpit (a). Vesicatoria post aures applicata. Die 3 Mart. magis magisqve obscurabatur.

(u) l. c. Obs. 180.
(x) Vide §. 35. a).
(y) Vide §. 34. 39. b).
(z) Vide §. 16. a).
(a) Vide §. 58. No 4.

Die 5 Mart. viſus in utroqve oculo periit. Die 6 Mart. illam conveni, ſcil. 11 die ab incipiente cœcitate. Ambo oculi clariſſimi, pupilla nigra (*b*), ampliſſima (*c*), iridis vero peripheria anguſtiſſima. Caput non valde doluit a principio huc uſqve; primum tamen tenſionem a media fronte ad tempus & ad aurem dextram & ſuturam coronariam cum lancinatione qvadam brevis durationis, poſtea incipiente cœcitate ſiniſtri qvoqve oculi ſimilem tenſionem his terminis circumſcriptam percepit cum brevi qvadam lancinatione, nec tam vehementi, ut qvandoqve in hemicrania evenire ſolet (*d*). Reliqvis ſenſibus valet. Geſtat amuletum contra viſus vitia: bibit vinum, cui infuſæ ſunt rad. Valerian. ſilv. (*e*) Cichor. Die 6 Mart. pilul. cephalic. gr. xxij ſumpſit; purgarunt duodecies (*f*). Die 7 Mart. ſetaceum per cervicis cutim traduxi (*g*): hodie ſubinde ceu fulgur oculis obverſabatur; aliqvando

---

(*b*) Vide §. 17. d).
(*c*) Vide §. 17. a).
(*d*) Vide §. 19.
(*e*) Vide §. 86.
(*f*) Vide §. 68.
(*g*) Vide §. 115.

putat vannum prunis ardentibus plenam ſuccuti & ventilari qvaſi, aut ventilabro projici (*h*). Die 8 Mart. conqverebatur de dolore circa radicem pomi oculi & dentium ex dextra in ſiniſtram genam translato (*i*). Uti cœpit Trag. ex rad. Valerian. ſem. Fœnicul. ♂ diaphor. &c. ordinata. Bibit decoct. Saſſafr. paſſul. Corinth. Tempora illinit ungv. alabaſtr. acuato o°o N. M. expreſſ. Die 18 Mart. utriqve carpo veſicatoria applicui (*k*), & noctu dedi pilul. cephal. Veſicatoria aliqvoties reiterata, etiam poſt olecrana & ſub tendine deltoidis applicata fuerunt. Die 23 Mart. applicatus fuit pulv. ovillus ſine juvamine. Die 25 Mart. inuſta fuit moxa ſincipiti ſiniſtro (*l*): poſtea porrectum veſicatorium. Die 27 Mart. circa medium noctis vidit lucem per rimam. Die 30 Mart. diſtinctius averſa luce vidit ſtaturas ſtantium & ambulantium; neminem tamen agnovit. Die 11 April. 1678 diſtinctius vidit; me per aliqvot dies abſentem & nunc demum reducem agnovit; colores diſtingvere & figuras agnoſcere, ac etiam per plateam ambulan-

(*h*) Vide §. 61. No 2. c).
(*i*) Vide §. 20.
(*k*) Vide §. 111.
(*l*) Vide §. 116.

tes videre potuit. Pupilla angusta rursus, & prope figura & amplitudine naturali prædita. In dorso nuper vesicatoria applicata fuerunt. Doluit admodum setaceum: itaqve funiculum extraxit, foramen dextrum forfice dilatavi, pisum indidi, jussi, ut ceu fonticulum aliqvamdiu apertum servaret. Hactenus iterato purgabatur; perrexit tragea. Jam a diebus 6 omisit decoct. Sassafr. Die 13 April. legere potuit vocabulum Brod Germanice in tabula nigra exaratum; prætereuntes ædes ipsius vidit. Subinde caput dolet. Utriqve foramini setacei indidit pisum. Pupilla angusta manet, irisqve amplior evadit. Die 22 April. ipsamet literas pinxit optime, ac combinavit, ut legi potuerit scriptum, idqve linea recta, non incurve aut deflectens a linea. Menstruata erat; caput doluit. Die 23 fonticulum inussi brachio sinistro (*m*). Die 4 Jun. 1678 distincte vidit, in publicum prodiit: pupillæ angustæ. Ob iracundiam nuper facies obtenebrabatur (*n*), sua sponte tamen rursus clarior fiebat. Die 12 Aug. distincte vidit, pupillæ angustæ. Ait subinde se circa radi-

(*m*) Vide §. 114.
(*n*) Vide §. 34.

ces oculorum aut intra cranium qvandam qvaſi contorſionem dolorificam percipere, ſubſeqvente cephalalgia & aliqva viſus hebetudine, qvæ tamen non diu durabat. Die 26 Sept. bene vidit in oculo ſiniſtro, minus in dextro. Conqveritur adhuc de conſtrictione qvadam & pulſatione intra frontem. Sibi non temperat a vino. Pergit purg. pil. ceph. & V. S. Alter fonticulus excitandus erit. Die 11 Nov. 1678 oculus dexter minus validus ſiniſtro; ſubinde caput ibi dolet, pupilla amplior, verum ſi lucida intueatur, ſtatim rurſus anguſtatur. Aliqvando tumultus miros in capite verſus frontem experitur, ac ſi aliqvid intus exploderetur cum dolore nunc tenſivo, nunc gravativo, nunc pungitivo, nunc momentaneo, nunc pertinaciore: ſentit ſubinde frigus qvoddam: a potu ſibi non temperat. Menſ. Febr. 1679 adhuc vidit. Interea rurſus poculis indulſit. Die 20 Febr. tuſſire cœpit, & purulenta ejecit. Phthiſis imminet, qva prior maritus obiit. Non deſinit errores in potu committere. Svaſi antiphthiſica diaph. Jov. cum conſ. decoct. pect. diacod. Ad d. 29 April. bibendo perrexit; veſperi ebria erat, tumultuoſa & rixoſa, ut ſolet alias bene pota. Sputum vero purulentum; non valde emaciatur. Videt bene, ſcribit, legit: mirum

a tuſſi vehementi viſum non obtenebrari. Viſum phthiſica retinuit. Nuper ſævam hemicraniam in ſiniſtro latere paſſa eſt, unde Not. in dextro oculo minus vidit; non tamen ita viſus periit, ut non objecta colorata, ſed minus diſtincte, videret: in ſiniſtro viſus perſtitit: ambæ palpebræ (forte pupillæ) æqvalis magnitudinis ſeu amplitudinis manſerunt. Die 14 Jul. phthiſica poſt diuturnam diarrhœam, faſtidium omnium medicamentorum, errores in victu, lites continuas, mortua eſt.

HISTORIA XIII.

ZACUTI LUSITANI (o)

De amauroſi multorum annorum GALENICA *methodo demum, in primis vero ſetaceo nuchæ indito, percurata.*

Hoc malo cum premeretur puer qvidam, & illæſo apparente oculo videndi actione prorſus careret, & diſtillatione a capite, per multos annos, per oculos excreta copioſa

---

(o) Prax. med. admir. L. 1. Obſ. 52.

materia craſſa & ſordida, laboraret, hunc obſtructione ... viſualium nervorum ... eſſe affectum deprehendimus ... Nos hoc ordine ſumus curationem exorſi. Inſtituto regimine recto, celebratisqve auxiliis univerſalibus, qvorum ope mucoſa excrementa ſunt vacuata, per 30 dies ſudationes imperavimus ex radice Chinæ, qvarum uſu copioſus excitabatur ſudor (*p*). Deinde cucuphis exſiccantibus & lavacris ſupra caput admotis, raſis prius bene pilis, uſi ſumus. Maſticatoria & errhina medicamenta (*q*) non prætermiſimus, qvorum ope tenax per os & nares excernebatur humor. Ut aures ſpirarent, qvæ cum oculis maxime conſentiunt, cauſticum retro ipſas affiximus (*r*), & ſimul ſetonem nuchæ indidimus (*s*), ut per has partes vacuaretur humor in oculos delapſurus. Toto, & capite, belle repurgatis a levioribus collyriis (*t*) incepimus: primum fuit verbenæ decoctum, pulv. oſſis ſæpiæ, ſuccus rutæ fœniculi depuratus, ∇ª ſtillati-

(*p*) Vide §. 69.
(*q*) Vide §. 99. 100. 101.
(*r*) Vide §. 113.
(*s*) Vide §. 115.
(*t*) Vide §. 102. ſqq.

tia

tia ex raphanis, & eorum foliis rhodomel, mel cum marrubii ſucco, decoctum Euphraſiæ Chelidoniæ. His factis inditum eſt teſtudinis fel cum ſaccharo candido commixtum. Vinum album, in qvo aurum qvinqvies erat ignitum. At cum lucem jam aliqvantiſper videret, hoc deinceps auxilio (qvod licet videtur contemptibile, eſt tamen mirabilis efficaciæ) viſum recuperavit, qvod ita efficitur: accipe fruſtula porcinæ carnis vetuſtæ, ea in minutiſſimas taleolas ſeca, ſerva in ollula parviſſima ænea, adjecto ſale & odorifero vino albo, poſt 10 dies aqva ſtillabit, qvæ ad recuperandum viſum, roborandos nervos viſuales, auferendam obſtructionem, mirificam opem præſtare fidiſſimo experimento adinveni.





INDEX I.

AUCTORUM.

A.

INDEX I. AUCTORUM.

D.

E.

F.

I.

K.

L.

INDEX II.

RERUM ET VERBORUM.

A.

D.

N.

O.

P.



B U D Æ

TYPIS CATHARINÆ LANDERER.

ERRATA.

Pag. 7. linea 19. pro aculi *lege* oculi
— 20. nota (*b*) pro A. D. G. *lege* A. E. H.
— 46. nota (*o*) poſt Schriften *adde* 2 Band.
— 75. linea 1. pro §. 16. *lege* §. 19.
— 198. linea 1. pro §. 37. *lege* §. 38.
— 211. linea 1. pro obortiis *lege* oborti iis.
— 222. linea 12 pro ὀρθοςτάδιος *lege* ὀρθοςάδιος.
— 237. linea 1. pro §. 49. *lege* §. 40.
— 547. linea 5. pro ut erqvecura *lege* uterqve cura.
— 633. nota (g) pro Mediecine *lege* Medecine.